SYMBOLA AD HISTORIAM LIBRORUM SALLUSTIANORUM CONDENDAM DATUR.

I. DE STUDIIS IN SALLUSTIO CRISPO A POMPEIO TROGO ET IUSTINO EPITOMATORE COLLOCATIS.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ATQUE AUCTORITATE

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE VIADRINA VRATISLAVIENSI

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XXVI M. AUGUSTI A. MDCCCLXXXII HORA XII

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

IULIUS SELLGE

SAGANENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

MAXIMILIANUS KULLA, DR. PHIL.
ROBERTUS KORNACZEWSKI, CAND. PHIL.
MARTINUS ZIMMER, CAND. PHIL.

SAGANI

TYPIS HENRICI MERTSCHING.

MARTINO HERTZ

ET

AUGUSTO ROSSBACH

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS

SACRUM VULT

AUCTOR.

Vix quisquam post heroica illa tempora ad scribendum accessit, quin se totum ad aliquem antiquiorum, qui omnium consensu ingenii ac doctrinae principatum obtinerent, exprimendum imitandumque daret. Quae verba Ruhnkenii[1]) praeter Homerum, Thucydidem, Platonem, Demosthenem, quos posterior aetas et admirata et acerrimo consectata est studio, in literis Latinis praecipue in Sallustio Crispo fatearis necesse est, quippe qui nobis severitate, gravi vitiorum censura, orationis proprietatibus, concisa brevitate super ceteros excellat. Nec mirum, si plurimos nactus est prae aliis imitatores neque ullus fere scriptor saepius aut a grammaticis tractatus aut a librariis scriptus fuit quam Sallustius[2]). Hunc igitur eiusque imitatores per totum temporis processum persequi cum ad artem criticam in illius operibus exercendam tum ad literarum historiam penitus noscendam utilissima[3]) est quaestio.

Ut vero textus, qui dicitur, historia critica nascatur, scriptoris fontibus[4]) sermonisque auctoribus[5]) investigatis et libris

---

[1]) In praefatione ex prima editione lexici Timaei = Opusc. tom. I ed. alt. Lugduni Batav. 1823 p. 85.

[2]) De hac scribendi ratione iusta
cf. Sallust. edit. Bipont. 1797 p. XVIII;
Bähr Röm. Litgesch. Carlsruhe 1845 II § 211, 2;
Th. Vogel de Sallustii vita, moribus ac scriptis Mainz 1857 p. 1;
Linker Sallustii Crispi historiarum prooemium Marburgi Cattorum 1850 p. 6;
Overbeck Pompeii p. 209;
Teuffel Sallust und Tacitus Tübingen Index 1868 p. 1;
at contra Gerlach Sall. edit. Basileae 1823—27 II 1 p. 3 et ann.; eiusd. edit. 1853 p. 443.

[3]) cf. Hertzii praeceptoris analecta ad carminum Horatianorum historiam in indd. schol. Vratislav. a. 1876 sqq., quibus in re instituenda me summopere esse adiutum gaudeo.

[4]) cf. Gerlach edit. 1823 II 1 p. 199. p. 337. II 2 p. 48.
Vogel l. l. p. 17.
Linker l. l. p. 16—18.
Duebi de Catilinae Sallustii fontibus Bonnae 1872.

[5]) cf. Dolega de Sallustio imitatore Thucydidis, Demosthenis aliorumque Vratisl. 1871.
Bruennert de Sallustio imitatore Catonis Sisennae aliorumque Jenae 1873.

manuscriptis[1]) exploratis, quantum equidem iudicare possum, primum adiungenda sunt veterum testimonia[2]) sive, ut cum Hertzio loquar, iudicia generalia, quae aesthetica dicere solemus, deinde album imitatorum quomodoque in Sallustio operam posuerint, tum interpretum et iudicum criticorum in edendis emendandisque libris studia, denique opera Sallustii in linguam Germanicam conversa.

De imitatoribus Sallustii singulis iam peculiaribus commentationibus optime meriti sunt viri doctissimi[3]). Ad totam historiam componendam mea opella accessum aperire ab eaque exordium capere in animo habeo, in praesenti quidem plane perfectam de hac re quaestionem differens ac procrastinans vel viris politioris doctiorisque ingenii permittens. Equidem satis habebo, si comparatis Sallustio et Pompeio Trogo imitatore primo historiae illi fundamenta iecero, novique aliquid me attulisse credam, si in illam rem non iniucundam cognitu paulo diligentius inquisivero.

Viam ac rationem, quam in comparatione sequar, ut paucis significem, vocem imitatorum non ita accipi volo, quasi et in sententiis atque iudiciis stolide Sallustium repetierint et totum scribendi genus suum ad illum accommodaverint; tantum abest, ut in conficiendis enuntiationibus vocabulisque collocandis id est in stilo, qui vocatur, color Sallustianus universo orationis habitui atque indoli clarissime adspersus appareat, cum suam quisque loquendi rationem sibi finxerit, ut singulis in verbis, formulis dicendi, figuris, sententiis, proprietatibus Sallustii sermonis adoptatis, familiaritatem inter hunc imitatoremque intercedere cogno-

---

1) cf. quae Teuffel Röm. Litgesch.[3] p. 395, 8 laudavit;
Rhein. Mus. XXI 319; Hermes I 232;
Gerlach. edit. mai. I. p. XII—XXVII. II 1 p. 1—45.
Dietsch. comm. I Sall. ed. mai. praemiss. Lips. 1859.
Kuhlmann de Sall. codice Parisino 500. Oldenburg 1880. p. 1.

2) Quae ad vitam scriptoris spectant et quae iam a Dietschio suo loco magna ex parte congesta nisi verba non laudant, cum specialibus (sit venia verbo!) testimoniis, quae grammatici sunt argumenti, hic videntur praetermittenda.

3) cf. praeter ceteros M. Hertz comm. de Ammiani Marcellini studiis Sallustianis. Ind. schol. Vratisl. 1874.
de Tacito Woelfflin Philol. XXVI p. 121.
Eussner exercitationes Sallustianae Wirceburgi 1868 p. 37.
Teuffel Sall. u. Tac.
Laureck de Sall. ingenio, arte rationeque dicendi Ahrweiler 1873 p. 31.
de Curtio Rufo Wiedemann Philol. XXXI p. 756.
de Floro Heyn de Floro historico Bonnae 1866 p. 49.
de Hegesippo Fr. Vogel ὁμοιότητες Sallustianae in act. semin. philol. Erlang. 1878 I p. 348 et diss. 1880.
de L. Septimio et Sulp. Severo Pratje quaestiones Sall. Gottingae 1874.
de Augustino Roth N. Rhein. Mus. IX p. 630 et al.

scamus et cognationem statuamus. Scriptorem quendam secutum esse Sallustium eiusque imitationem dilucide manifestari modo conspicuo sententiarum quarundam concentu doceri oportet modo dictionis proprietatibus utrique communibus. Quodsi nonnulla invenias, quae extant quidem apud Sallustium, sed in aliis quoque rerum scriptoribus deprehendi possunt, nihilo secius, cum eum, de quo agitur, Sallustii exemplo oboedivisse probatum sit, hunc auctoris nostri studiosum fuisse nihil impediet, quominus arbitremur.

Quamquam omnibus eorum, quae praecedunt, saeculorum editionibus et libris perlustratis nonnunquam locos a viris doctis iam fuisse collatos haud ignoro, tamen, quicunque primus imitationem respexit, appellare singillatimque locos hos similes consignare non conabor, quippe cum non egens consilio atque auxilio cuiusquam nisi interdum indice Dietschiano neque ex alieno pendens arbitrio, num quid Trogus a Sallustio mutuatus esset, ipse sim percontatus et illorum numerum mirum quantum auxerim, ut nihil mihi sit periculi

Ne, si forte suas repetitum venerit olim
Grex avium plumas, moveat cornicula risum
Furtivis nudata coloribus.

A. Veterum iudicia.

Justin. XXXVIII 3, 11: Trogus . . . in Livio et in Sallustio reprehendit, quod contiones directas pro sua oratione operi suo inserendo historiae modum excesserint.

Senec. suasor. VI 21 (ed. Kiessl.): Quotiens magni alicuius uiri mors ab historicis narrata est, toties fere consummatio totius uitae et quasi funebris laudatio redditur. hoc semel aut iterum a Thucydide factum, item in paucissimis personis usurpatum a Sallustio, T. Liuius benignius omnibus magnis uiris praestitit; sequentes historici multo id effusius fecerunt.

— excerpt. controv. III praef. 8 (p. 243, 22): orationes Sallustii in honorem historiarum leguntur.

— controvers. IX 24, 13 sqq. (p. 398, 16): Do, inquit, operam, ut cum optimis sententiis certem, nec illas corrumpere conor, sed uincere. Tunc deinde retulit aliquam Thucydidis sententiam: *δειναὶ γὰρ αἱ εὐπραξίαι συγκρύψαι καὶ συσκιάσαι τὰ ἑκάστων ἁμαρτήματα*, deinde Sallustianam: res secundae mire sunt uitiis optentui. cum sit praecipua in Thucydide uirtus breuitas, hac eum Sallustius uicit et in suis illum castris cecidit; nam in sententia Graeca tam breui habes quae saluo sensu detrahas: deme uel *συγκρύψαι* uel *συσκιάσαι*, deme *ἑκάστων*: constabit sensus, etiamsi non aeque comptus, aeque tamen integer. at ex Sallustii sententia nihil demi sine detrimento sensus potest. T. autem Liuius tam iniquus Sallustio fuit, ut hanc ipsam sententiam et tamquam translatam et tamquam corruptam dum transfertur obiceret Sallustio. nec hoc amore Thucydidis facit, ut illum praeferat, sed laudat quem non timet et facilius putat posse a se Sallustium uinci, si ante a Thucydide uincatur.

— exc. contr. IX 1 (p. 449, 4): Multa oratores, historici, poetae Romani a Graecis dicta non subripuerunt, sed prouocauerunt. Thucydidis . . . Sallustius etc.

Vell. Paterc. II 36, 2: iam paene supervacaneum videri potest eminentium ingeniorum notare tempora. Quis enim ignorat diremptos gradibus aetatis floruisse hoc tempore . . . . . aemulumque Thucydidis Sallustium?

Senec. epist. moral. XIX 5 (114), 16: Sic Sallustio vigente amputatae sententiae et verba ante exspectatum cadentia et obscura brevitas fuere pro cultu.

— ib. 18: Quae apud Sallustium rara fuerunt . . . in haec incidebat, at Arruntius illa quaerebat. Vides autem quid sequatur, ubi alicui vitium pro exemplo est.

Stat. silv. IV 7, 53: Sed tuas artes puer ante discat,
Omne quis mundi senium remensus
Orsa Sallusti brevis et Timaei
Reddis alumnum.

Martial. epigr. l. XIV 191: Sallustius.
Hic erit, ut perhibent doctorum corda virorum,
Primus Romana Crispus in historia.

Quintil. II 5, 19 (ed. Bonnell): Ego optimos quidem et statim et semper, sed tamen eorum candidissimum quemque et maxime expositum velim, ut Livium a pueris magis quam Sallustium; et hic historiae maior est auctor, ad quem tamen intellegendum iam profectu opus sit.

— III 8, 9: Jsocrates - Gorgias. Quos secutus videlicet C. Sallustius in bello Jugurthino et Catilinae nihil ad historiam pertinentibus principiis orsus est.

— IV 2, 45: vitanda est etiam illa Sallustiana, quamquam in ipso virtutis locum obtinet, brevitas et abruptum sermonis genus, quod otiosum fortasse lectorem minus fallat, audiendum transvolat nec dum repetatur exspectat.

— VIII 3, 29: Nec minus noto Sallustius epigrammate incessitur:
Et verba antiqui multum furate Catonis,
Crispe, Jugurthinae conditor historiae.

— ib. 44: ductare exercitus et patrare bella apud Sallustium dicta sancte et antique ridentibus, si dis placet.

— ib. 82: Ac merito laudatur brevitas integra; sed ea minus praestat, quotiens nihil dicit, nisi quod necesse est, est vero pulcherrima, cum plura paucis complectitur: quale Sallustii est: Mithridates corpore ingenti, proinde armatus.

— VIII 6, 59: circuitum quendam eloquendi, qui nonnunquam necessitatem habet, quotiens dictu deformia operit: ut Sallustius: Ad requisita naturae.

— IX 3, 12: ἑτέρωσιν, cui non dissimilis ἐξαλλαγὴ dicitur; ut apud Sallustium: ‚Neque ea res falsum me habuit‘ et ‚duci probare.‘

— ib. 17: Ex Graeco vero translata vel Sallustii plurima, quale est ‚Vulgus amat fieri.‘

— IX 4, 77: Non minore autem cura vitandum est, quidquid est ἔνρυθμον, quale apud Sallustium: Falso queritur de natura sua.

— X 1, 32: neque illa Sallustiana brevitas, qua nihil apud aures vacuas atque eruditas potest esse perfectius, apud occupa-

tum variis cogitationibus iudicem et saepius ineruditum captanda nobis est.

— ib. 101: At non historia cesserit Graecis, nec opponere Thucydidi Sallustium verear.

— ib. 102: Ideoque immortalem illam Sallustii velocitatem diversis virtutibus consecutus est.

— X 2, 17: qui praecisis conclusionibus obscuri Sallustium atque Thucydidem superant.

— X 3, 7; 8: Sed . . . redeamus ad iudicium et retractemus suspectam facilitatem. Sic scripsisse Sallustium accepimus, et sane manifestus est etiam ex opere ipso labor.

Tacit. annal. III 30: Crispum, equestri ortum loco, C. Sallustius rerum Romanarum florentissimus auctor, sororis nepotem in nomen adscivit.

Sueton. Div. August. 86 (p. 76, 15 ed. Roth): verbis, quae Crispus Sallustius excerpsit ex Originibus Catonis.

— de gramm. 10 (p. 261, 26): Asinius Pollio in libro, quo Sallustii scripta reprehendit ut nimia priscorum verborum affectatione oblita.

— ib. p. 262, 6: Ateius Philologus coluit familiarissime C. Sallústium et eo defuncto Asinium Pollionem, quos historiam componere aggressos, alterum breviario rerum omnium Romanarum, ex quibus quas vellet eligeret, instruxit — Quo magis miror Asinium credidisse, antiqua eum verba et figuras solitum esse colligere Sallustio — vitet maxime obscuritatem Sallustii et audaciam in translationibus.

— ib. 15 p. 264, 5: Lenaeus — ut Sallustium historicum, quod eum oris probi, animo inverecundo scripsisset acerbissima satyra laceraverit, lastaurum et lurconem et nebulonem popinonemque appellans et vita scriptisque monstrosum, praeterea priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem.

— reliqu. X p. 300, 15: Sallustius Crispus scriptor historicus.

Cornel. Front. et M. Aurelii imp. epistul. II 13 (p. 36 ed. Naber): Tu mihi de C. Crispo timeo ut umquam gratias agere possis.

— III 11 (p. 48): quod tu gnomas egregie convertisti, hanc quidem, quam hodie accepi, prope perfecti, ut poni in libro Sallustii possit, nec discrepet aut quicquam decedat.

— IV 3(p. 62): Oratorum post homines natos unus omnium M. Porcius eiusque frequens sectator C. Sallustius.

— V 59 (p. 93): valeant omnes Porcii et Tullii et Crispi.

Frontonis et Antonini imp. epist. II 1 (p. 154): Mitte mihi aliquid quod tibi dissertissimum videatur, quod legam, vel tuum aut Catonis aut Ciceronis aut Sallustii.

— III 6 (p. 107): Figuras etiam, quas Graeci $\sigma\chi\acute{\eta}\mu\alpha\tau\alpha$ vocant, illum historiae, hunc orationi congruentes adhibuisse: Sallustium antithetis honeste compositis usum: ,alieni adpetens; satis eloquentiae, sapientiae parum'; paronomasia etiam non absurda nec fribola, sed proba et eleganti: simulator ac dissimulator.

— p. 108: Non . . . post illa Sallusti et Tulli de Catilina L. Antoni . . . utus ait putabam ostendere.

Fronton. epist. ad M. Antoninum de eloquentia 3 (p. 149): At ubi Catonis et Sallusti et Tulli tuba exaudita est, trepidant et pavent et fugam frustra meditantur.

Granii Liciniani l. XXXVI (= p. 43 A 18 — B 8 ed. Bonnens. Lips. 1858): Sallusti opus nobis occurrit, sed nos ut instituimus moras et non urgentia omittemus. (nam Sallustium non ut historicum scribunt, sed ut oratorem legendum) nam et tempora reprehendit sua et delicta carpit et convitia ingerit et dat in censum loca montes flumina et hoc genus alia et culpat et conparat disserendo.

Gell. I 15, 13 (ed. Hertz): Eupolidis . . . versus Sallustius noster imitari uolens.

— I 15, 18: nouatori uerborum Sallustio.

— II 27, 2: Demosthenis . . . Haec aemulari uolens Sallustius.

— 3: De utriusque his uerbis Titus Castricius cum iudicaret . . .

— III 1, 5: usum esse Sallustium circumlocutione quadam poetica (Cat. 11, 3.).

— ib. 6: Sallustium uel subtilissimum breuitatis artificem.

— IV 15, 1: Elegantia orationis Sallustii uerborumque fingendi et nouandi studium cum multa prorsus inuidia fuit, multique non mediocri ingenio uiri conati sunt reprehendere pleraque et obtrectare. In quibus plura inscite aut maligne uellicant. Nonnulla tamen uideri possunt non indigna reprehensione etc.

— IX 14, 26: Ego quoque in Jugurtha Sallustii summae fidei et reuerendae uetustatis libro ,die' casu patrio scriptum inueni.

— X 20, 10: Sallustius quoque proprietatum in uerbis retinentissimus.

— XVII 18: M. Varro . . . C. Sallustium scriptorem seriae illius et seuerae orationis, in cuius historia notiones censorias fieri atque exerceri uidemus.

— XVIII 4, 2: Nam cum ille (iactator quispiam) se unum et unicum lectorem esse enarratoremque Sallustii diceret neque primum tantam cutem ac speciem sententiarum, sed sanguinem quoque ipsum ac medullam uerborum eius eruere atque inspicere penitus praedicaret . . . 6: priscorum et remotorum uerborum medullas et sanguinem.

Apul. apolog. XCV (p. 105, 19 sqq. (ed. Krueger = p. 589 ed. Oudend.): quamcunque orationem struxerit Avitus, ita illi erit

undique sui perfecte absoluta, ut in illa neque Cato gravitatem requirat . . . nec parsimoniam Sallustius.

Spartian. Hadrian. 16 (script. hist. Augustae ed. Jordan et Eyssenhardt): Hadrianus . . . amovit genus vetustum dicendi. Ciceroni Catonem, Vergilio Ennium, Sallustio Coelium praetulit.

— Sever. 21: hic nihil liberorum reliquit. . . . Jam vero quid de Homero, Demosthene, Vergilio, Crispo . . . loquar? . . . qui quidem divinam Sallustii orationem, qua Micipsa filios ad pacem hortatur, ingravatus morbo misisse filio dicitur maiori.

— Capitolin. Maxim. et Balbin. 7: Denique non nulli quem ad modum Catonem et Caesarem Sallustius comparat ita hos quoque comparandos putarunt.

Vopisc. Aurelian. 2: me contra dicente neminem scriptorum quantum ad historiam pertinet, non aliquid esse mentitum, prodente quin etiam, in quo Livius, in quo Sallustius . . Tacitus . . . Trogus manifestis testibus convincerentur. . . . mendaciorum comites, quos historicae eloquentiae miramur auctores.

— Prob. 1: Certum est quod Sallustius Crispus quodque M. Cato et Gellius historici sententiae modo in litteras rettulerunt omnes omnium virtutes tantas esse, quantas videri eas voluerint eorum ingenia, qui unius cuiusque facta descripserint.

— ib. 2: et mihi quidem id animi fuit non ut Sallustios, Livios, Tacitos, Trogos atque omnes dissertissimos imitarer viros in vita principum et temporibus disserendis.

— Firm. 6: cum et Livius et Sallustius taceant res leves de his, quorum vitam arripuerunt.

Marii Plotii Sacerdot. art. grtc. I (grtc. lat. VI p. 457, 31 ed. Keil): tertium anacoluthon est cum oratio, in quae et ‚quamquam' et ‚tamen' necessarii sint duo verba, nullum habeat, ut ‚Marco Lepido cum omnibus copiis Italia pulso segnior.'

— p. 470, 13: exoche secunda est, cum duo nomina specialia ponuntur et sic eminens oratio ad generale nomen ascendit, ut est ‚probitatem, industriam ceterasque bonas artes.'

— p. 470, 16: exoche tertia — uno tantum modo addito nomine speciali ante generalem appellationem, ut est ‚Hipponem, Adrumetum, Leptin ceterasque civitates.'

Lactant. instit. div. lib. II 12 (p. 101 bibl. patr. eccles. lat. ed. Gersdorf): — hominem nequam Sallustium, qui ait: sed nostra omnis vis etc. Recte, si ita vixisset, ut locutus est. Servivit enim foedissimis voluptatibus suamque ipse sententiam vitae pravitate dissolvit.

— III 29 p. 167: — fortuna humanarum rerum regimen obtineat. Cui opinioni assensit et [Sallustius] historicus, qui ait: sed profecto fortuna etc.

Porphyr. comm. in Horat. serm. I 1, 101 (p. 188, 30 ed. Meyer): Sallustius Crispus historiarum scriptor.

— I 10, 9 (p. 237, 23): eloquentiae virtus non tantum in eo est, ut pauca copiose, sed etiam ut breviter multa dicantur. sic et Marcus Cato . . . Sallustius laudatur paucis absolvisse.

Marii Victorin. art. grtc. l. III (VI p. 126, 21 K.): Non supersederim etiam Sallustiano, qui profluit ex pentametro heroo ‚falso queritur etc.'

Diomedis art. grtc. II (I p. 468, 12 K.) Sallustium quoque in principio Iugurthae a rythmo coepisse.

Avien. or. maritim. 32 sqq: . . . . . . Maeotici
Situs quis esset aequoris. Sallustium
Noram id dedisse, dicta et eius omnibus
Praeiudicatae auctoritatis ducier
Non abnuebam. ad eius igitur inclitam
Descriptionem, quo locorum formulam
Imaginemque expressor efficax stili
Et veritatis paene in obtutus dedit
Lepore linguae multa rerum iunximus
Ex plurimorum sumpta commentariis.

Ausonius protrept. de studio iuvenili idyll. IV 62 nepoti Sallustium commendat hisce verbis:

Iam facinus, Catilina, tuum, Lepidique tumultum,
Ab Lepido et Catulo iam res et tempora Romae
Orsus, bissenos seriem connecto per annos.
Iam lego civili mistum Mavorte duellum,
Movit quod socio Sertorius exul Ibero.
Nec rudis hoc avus admoneo, sed mille docendo
Ingenia expertus etc.

Symmach. epist. I 25 (ed. Parei): imitabor Sallustiani testimonii castigationem.

— IV 24: in monumentis Sallustianis.

— V 68: recuso sententiam, quae rem venaticam servile ducit officium. Statuerit hoc scriptor stilo tantum probandus, nam morum eius damna non sinunt, ut ab illo agendae vitae petatur auctoritas.

Serv. comm. in Donat. (V p. 447, 17 K.): cacenphaton in sensu, in quo reprehenditur Sallustius.

— comm. in Verg. Aen. I 6: Cato in originibus hoc dicit, cuius auctoritatem Sallustius sequitur in bello Catilinae.

— ib. X 105: . . . . . . bene sententiae dicendae ordinem servat. Nam sicut et in Sallustio . . . legimus, antequam dicatur sententia, eius praemittitur ratio.

Hieronym. ad Heliodor. epitaph. Nepotiani D 55 (I p. 26 ed. Erasm.): Neque enim historiam proposui scribere, sed nostras

breviter flere miserias. Alioquin ad haec merito explicanda et Thucydides et Sallustius muti sint.

— de situ et nominibus locorum Hebraic. (opp. III 1 p. 202 ed. Vallars.): Porro Sallustius auctor certissimus asserit tam Tigris quam Euphratis in Armenia fontes demonstrari.

— comm. in ecclesiasten cap. V (III 1 p. 430): sententia nobilis historici, quod avaritia neque inopia neque copia minuatur.

Augustin. de beata vita l. I (opp. t. I p. 197 ^{a} D ed. theolog. Lovaniens. Lugd. 1664): Quamvis enim Sallustius lectissimus pensator verborum, egestati opposuit opulentiam, tamen accipio istam plenitudinem.

— ad Marcellin. ep. 5 (vol. I t. II p. 7 ^{b} C): in libro etiam belli Catilinae ante adventum utique Christi idem nobilissimus historicus eorum non tacet.

— ad Hieronym. ep. 29 (vol. I t. II p. 35 ^{b} B): Quamquam et apud illos Romanae linguae dissertissimus dixerit ‚neque illi tamen ad cavendum dolus, at astutia deerant' astutiam ponens in bono.

— de civit. dei I cap. 5 (vol. III p. 7 ^{a} C): sicut scribit Sallustius nobilitate veritatis historicus.

— ib. II 21 (p. 73 ^{b} A): Sed si contemnitur, qui Romanam rem publicam pessimam ac flagitiosissimam dixit, nec curant isti, quanta . . . impleatur, sed . . .

— ib. III 17 (p. 103 ^{b} A): Sallustius . . . ad honestam libertatem pertinere arbitrati sunt, mala civitatis propriae non tacere, quam multis locis magno praeconio laudare compulsi sunt.

Macrob. saturnal. III 13, 7—9: ipsa de eo (sc. Metello Pio) Sallustii verba subieci: ac Metellus etc. (= fr. h. II 23 ed. Dietsch). haec Sallustius gravissimus alienae luxuriae obiurgatur et censor.

— V 1, 7: sunt genera dicendi: — breve, in quo Sallustius regnat.

Sollii Sidon. Apollinaris carm. II 190 (p. 18 ed. Savar. Claromont. Paris 1569): Qua Crispus brevitate placet.

— carm. XXIII 151 (p. 186):

Et te qui brevitate Crispi polles?

Pompeii comment. art. Donati (V p. 294, 13 K.): macrologia est, quotiens et verba superfluunt et sensus: ‚legati non inpetrata pace retro, unde venerant, domum regressi sunt.'

Rufini comm. de numeris orat. (VI p. 575, 17 K.): Pompeius Messalinus . . . de Sallustiana compositione sive de numero et structura: Nunc, si videtur, Sallustianae periodi numeros inspiciamus: res populi Romani Marco Lepido . . .

Lydi *περὶ ἀρχῶν τῆς Ῥωμαίων πολιτείας* (p. 119, 15 ed. Bekker): *μεθ᾽ οὓς Σαλούστιος οὗτος ὁ ἱστορικὸς ἐπὶ τῆς πρώτης ἱστορίας σαφῶς ἀναδιδάσκει.*

Isidor. orig. l. I 43, 4: Salustius ex historialibus . . . constant. — XIII 21, 10: Salustius autem auctor certissimus ita asserit. Ioannis Antiocheni frg. 68 (IV p. 562 frgt. hist. gr. ed. Mueller): *καὶ ὀρθῶς γε Σαλούστιος ὁ Ῥωμαῖος συγγραφεὺς ἔφη κτλ.*

B. Imitatores.

I. Cn. Pompeius Trogus[1]).

Ex Augusti aetatis scriptoribus rerum Romanis, quorum opera ad nos pervenerunt, primum in censum venire posse Pompeium Trogum facile apparebit. Nam de eius vita et quis fuerit licet certa nobis non allata sint, tamen in tempora, quibus vixit, ex Iustini epitomatoris l. XLIII 5, 11 sqq. certe concludi potest, qui avum eius in bello Sertoriano civitatem a Cn. Pompeio percepisse tradit et patrem sub C. Caesare militasse (vid. Philolog. VII p. 389 sqq.) epistularumque et legationum, simul et anuli curam habuisse.

Non meum esse potest fines Trogi vitae accurate constituere omnesque illas inter se discrepantes sententias[2]) virorum doctorum[3]) hic perpendere, quorum alii iisdem temporibus atque Christum Salvatorem Trogum floruisse iudicant, alii iam ante natum Christum diem obiisse supremum, alii (Martinus Polonus et Gualterus Burleus) tempore Antonini Pii Iustini praeceptoris munere esse functum, quam quidem extremam opinionem plane a vero abhorrere Trogi ipsius illa verba a Iustino laudata demonstrant et, quae mox afferre mihi in animo est, — hoc unum, quod ad ea, quae mihi proposui, explenda abunde sufficit, omni caret dubitatione, quod Octaviani temporibus floruisse et scripsisse Pompeium Trogum necesse est arbitremur, cum epitom. l. XLII 5, 11

[1]) De nomine sic scribendo cf. I. Becker in Philologi vol. VII p. 389 sqq.

[2]) einfach mittelalterliche Hirngespinste (Franz Rühl die Verbreitung des Iustin im Mittelalter Leipzig 1871 p. 46).

[3]) cf. Fabricii bibl. lat. III 3 p. 58 sqq.
Funccii de vegeta Latinae linguae senectute Marburgi Cattor. 1744. p. 691.

expeditio Caesaris Augusti in Parthos narretur, qua comperta illorum rex Phrahates, ut depelleret instans periculum, statim captivos signaque militaria Crassi et Antonii exercituum devictorum datis insuper obsidibus imperatori remisit, quod a. 20 ante Chr. nat. factum esse satis constat. Aliquid porro rationis Trogum cum Vergilio poeta habuisse verisimile fit e fragm. 53[1]), quod apud Serv. ad Aen. VI 782: ‚Animos aequabit Olympo' extat, de quo loco et Trogus et Probus quaesivisse dicuntur. Neque enim dubito, quin Trogus l. XLIII in tractandis initiis imperii Romani Romaeque totius orbis capitis origine ad ea spectaverit, quae poeta de urbis magnitudine vaticinatus est. Ediderunt autem Aeneida Varius et Tucca iussu Caesaris post obitum Vergilii a. 19 Cn. Sentio Q. Lucretio coss.[2]), quem ante annum Trogo Vergilii opus innotuisse non est cur credamus. In tempus multo inferius tandem Pompeii historias Philippicas confectas ut transferamus adducimur ex Iust. l. XLII 4, 16: ‚sed fatum Parthiae fecit, in qua iam quasi sollemne est reges parricidas haberi, ut sceleratissimus omnium, et ipse Phrahates nomine, rex statueretur', quod dicere scriptor non poterat, nisi Orode I per Phrahaten (IV) filium a. 36 interfecto necem huic per Phrahatacis filii scelus illatam[3]) etiam in animo habuisset. Quocum mirum in modum congruit Matthaeus Westmonasteriensis[4]), qui: anno divinae, ait, incarnationis nono Caesare Augusto imperii sui quinquagesimum primum agente annum Trogus Pompeius chronica sua terminavit, in quibus . . . ab initio . . . usque ad praesens tempus prosequitur. Huius enim notationis fontem apud Suetonium extitisse coniectura eaque levissima iudicavit Gutschmidius, Reifferscheidius (Suet reliqu. p. 383) ex antiquissimo Iustini codice emanasse suo iure contendit. Quamobrem l. XLI 1, 1: ‚Parthi, penes quos velut divisione orbis cum Romanis facta nunc orientis imperium est' Iustino epitomatori attribuendae (Ruehl p. 36) causam non video, cum contra rerum condicionem Trogi temporis non repugnet.

Unum locum, qui te offendere possit, l. XLI 5, 8: ‚Parthi omnes reges suos hoc nomine (Arsacis), sicuti Romani Caesares Augustos-

---

[1]) Pompeii Trogi fragmenta ed. Aug. Bielowski Leopoli 1853.

[2]) cf. Vergilii vitam de comm. Donati sublatam in Suetonii reliqu. a Reifferscheidio edit. Lips. 1860 p. 63.

[3]) vel a. 4 p. Chr. cf. Vaillant Arsacidarum imperium sive regum Parthorum historia. Parisiis 1728. I p. 184.
C. Fr. Richter histor.-krit. Versuch über die Arsaciden- und Sassaniden-Dynastie. Leipzig 1804. p. 86.
vel a. 9 p. Chr. cf. A. v. Gutschmid Jahrb. f. Phil. herausg. v. Fleckeisen. Suppl. II Leipz. 1856 p. 261. Separatim quoque eodem anno apud Teubnerum Lips. haec commentatio prelum subiit.

[4]) Flores historiarum Londinii 1570 I p. 81.

que cognominavere', quia, quod iam dictum fuit, inepte repetit, additamentum marginale textui immixtum putans, infitiatus est Rupertus in epist. XL ad Reinesium.

Quae cum ita sint, Pompeius Trogus, etiamsi ante Sallustii mortem eum iam natum fuisse concedendum est, consilium tamen operum suorum componendorum adulta demum aetate aliquanto post inire potuerit, quam Sallustii opera scripta editaque sunt, nisi forte scribendi exordio ante a. 43 vel 42 capto — his enim annis post Caesarem mortuum primum Sallustii opus, Catilinae coniurationem, (cf. Cat. 4, 2) evulgatum esse ex eiusd. cap. 53, 6 et 54, 1—4 elucet — per ingens temporis spatium historiis Philippicis operam studiumque contulisse existimatur, quod verisimile non est. Itaque Trogus cum a. 9 p. Chr. n. historias suas absolvisse putandus sit, quin Sallustii operibus perpolitis iam atque confectis post a. 38[1]) sua conscribere instituerit, dubitare non possumus, quamobrem eius quoque iis scriptoribus, quos Sallustii librorum studiosos fuisse contendimus, annumerandi non immerito potestatem habemus.

Magnopere autem est nobis dolendum, quod historiae eius Philippicae per multa volumina diffusae exili tantummodo atque ieiuna epitome a Iustino circumscriptae extant, qua tam contractae decurtataeque sunt quam mutilatae. Quam pauca retinuissent Iustini excerpta, iam senserunt Heeren[2]), Wolffgarten[3]), Borchardt[4]), quorum ille vir illustrissimus magna auctoritate hoc edidit iudicium: ‚Patet ex ipsis scriptoris verbis[5]) eum non omne opus Trogi in epitomen redigere nec compendium historiae universae conficere, sed anthologiam potius historicam ex magno opere Trogi collectam exhibere voluisse.' Modo narrationes copiose et ornate confecit modo breviter admodum et ieiune exposuit.

Aegre igitur solvenda est quaestio, qua ratione Trogus Sallustii studiosus fuerit, cum certa eius operis fragmenta una

---

[1]) cf. Linker l. l. p. 82.
Kritzii epist. critic. ad Wuestemannum in eiusd. Sall. histor. fragm. edit. Lips. 1853 p. XIV squ.
Hagen Untersuchungen über röm. Geschichte. I Catilina Königsberg 1854 p. 6.

[2]) in calce commentationis alterius de Trogi Pompeii eiusque epitomatoris Iustini fontibus et auctoritate. Comm. reg. soc. scient. Gotting. vol. XV 1802. Quam iterum typis excussam Frotscherus ed. Iust. ex rec. Gronovii praemisit. Lips. 1827. vol I p. XLV—XCVII.

[3]) Hilarius W.: de Ephori et Dinonis historiis a Trogo Pompeio expressis. comm. Bonnae 1868 p. 1 sqq.

[4]) Fridericus B.: quaestiones Iustinianae diss. Gryphisw. 1875 p. 3 sqq.

[5]) cf. praef. 4: cognitione quaeque dignissima excerpsi et omissis his, quae nec cognoscendi voluptate iucunda nec exemplo erant necessaria, breve veluti florum corpusculum feci.

oratione quadam excepta, quae scriptoris ipsissima verba praebeant loquendique usum atque sermonis proprietates explanent, nobis non remanserint. Verum, ut opinor, etiamnunc in Iustini epitome non mediocres atque paucas Trogi ipsius reliquias superstites habemus; nam interdum ibi pleniores narrationes te invenire licet, quae a Iustino tam copiose nequeunt amplificatae esse, cum multa alia ad rerum gestarum ordinem perspiciendum ac recte tenendum maxime necessaria non modo non breviter contraxerit, sed etiam omnino omiserit[1]), quare habeo persuasum, in illis integram Trogi narrationem apparere. Atque iam Borchardtio innitenti prologis historiarum Philippicarum, qui singulorum earum librorum argumenta breviter edocent — et non in Iustinum, sed in Trogum scripti sunt, in quibus non sint pauca, quae in Iustino frustra indages — ex Trogi consuetudine inde collecta rerum uniuscuiusque populi historia comprehendendi, qua et gentium situm, vitam, mores et item regum atque imperatorum ingenii animique indolem paucis expositam praemittere solebat et terras describebat atque regiones, in Iustini excerptis multa fragmenta mutua sumpta extare visa sunt, ut ipsi Trogo ea vindicanda putaret (cf. l. l. p. 13 sqq.), quamquam Trogum auctorem non fecerit Iustinus.

At, ut hoc concesso res ita se habeat, locos illos quamvis Trogi proprios et suos a Iustino epitomae insertos huius dicendi genere et elocutionibus posse imbutos esse, quis est qui neget? De loquendi autem ratione magna cum intercedat interdum similitudo[2]) inter Iustinum Trogique, quam supra commemoravi, orationem, ea quae huius sunt de illo eximere nimii negotii non sit. Ubicunque enim apud Iustinum eadem atque in oratione Trogi verborum constructio, idem sermonis genus, eaedem insolitae voces animadvertuntur, haec omnia quominus Trogi esse pro certo dicamus non est quod obstat. Compluribus vero aliis locis Iustinum eiusque additamenta facile internoscas. De Iustini enim elocutione iam multa et a multis[3]) dicta sunt; Trogum,

---

[1]) Pauca ut afferam exempla, primo libro urbium Aeolicarum et Ionicarum situs originesque Lydorum et in Italia Tuscorum, tum Aegypti origines urbium, altero Thessaliae origines, tertio Peloponnensium plane praeteriit; alia tibi prologos et epitomen percurrenti facillime obviam fient. Quanta transierit Iustinus praeterea ex impari longitudine condicioneque librorum cognoscere potes, quorum XI et XII uno et triginta capitibus rerum ab Alexandro gestarum historiam complectuntur, cum XXXIII et XXXV de bello Macedonico proximo atque Macedonia in provinciae formam redacta et de Demetrio Sotere eiusque victore occiso binis capitibus conscripti sint.

[2]) cf. Friderici Fischer de elocutione Iustini diss. inaug. Halis Sax. 1868 p. 64 et quae praecedunt.

[3]) Iis quos supra p. 17 commemoravi addo Recke Ueber die Spracheigenthümlichkeiten des Iustin. Progr. Muelhausen 1854.

quomodo locutus sit, unus Fischerus (l. l. p. 62) licet appendicis loco tamen non neglexit[1]), in quem postea revertar. Quae igitur Borchardtius Trogo esse assignanda existimavit, in coniectura sola, quantum equidem video, posita nullis argumentis stabilibus firmantur. Sunt quibus adstipulari possis, verum etiam quae refellenda videantur. Non recte igitur egit, qui sententiis modo inductus haec et haec Iustini verba a Trogo originem accepisse censeat, non ad id, quod in oratione eius eximium insit, respectum habens. Verum etiam stili ut ita dicam rationem esse ducendam, non tantum rerum in prolegorum argumentis enuntiatarum, quomodo apud Iustinum quoque effusae sint, in disquisitionem, qua ille eruatur, venire opus esse, hoc omnibus probabitur.

Longius abirem, si ipse Trogum a Iustini verbis secernere cuperem, quippe qui disserere cogitem de amborum ac primum quidem illius studiis Sallustianis. Ad quod si me conferrem atque converterem, materia rerum copiaque uberrima ad commentationem ampliorem fieret.

Hac de causa ex illa, quam plane a Trogo solo originem accepisse Iustini testimonio confirmatur, oratione studiis illius Sallustianis excussis si una cum Iustino absconditum Trogum examinemus.

Ad haec Trogi fragmenta, quae Iustini excerptis continentur, addendi sunt loci, quos et alii rerum scriptores, ubi eadem atque Trogus enarrant, ex eius libris se suis intexuisse profitentur et grammatici atque commentatores laudant. In quibus non dissimulant Trogi nomen, valent eadem, quae supra iam de iis, quos Iustinus complectitur, locutus sum. Quod ad numerum horum fragmentorum attinet, me Gutschmidii subtili atque accurata disputatione uti eamque pro fundamento quaestioni a me institutae ponere posse gaudeo, qui ingenii acumine Trogi propria quae creduntur a scriptorum posterioris temporis operibus seiuncta minutatim introspexit cognovitque, quaenam merito attribuenda Trogo, quae Iustino sint epitomatori, et eo, ubi consistere possis, rem perduxit. Hoc Trogi fragmentorum genus a minime certis auctoribus vulgatum neque conspicuum tertio vel postremo, si sic dispertire licitum mihi concessumque est, adhiberi a me Trogi studia Sallustiana exquisituro oportet. Forsitan quispiam dixerit, quid sit causae, cur ea tantopere derelinquam! Apud Iustinum, cum non modo in singulis verbis formulisque loquendi construendis, sed etiam in orationis forma interdum et sententiis ipsis non

---

[1]) Quod L. E. Hallbergii librum de Trogo Pompeio Paris. 1869 in bibliothecis nostris non reperi magnopere doleo; Rozsekii quoque commentationem de latinitatis Iustinianae natura Hermannstadt 1865 nancisci non potui.

pauca exhibeantur, quae ab eleganti eximioque sermone classicorum qui vocantur scriptorum, quibus Trogus[1]) annumeratur, longe recedant, huius vestigia, si orationem saepius iam commemoratam in contentionis iudicium vocaveris, non nimia opera erui poterunt, quod Trogum, ab eius dicendi consuetudine non plane discedens, potius inhaerens verbis atque sententiis, secutus suas adiunxit proprietates. Trogi vero, quas nunc video, reliquias, quarum aliae in veteribus Latinitatis scriptoribus extant, aliae a mediae aetatis scriptoribus Italicis et Brittanicis praeberi putantur, nonnullas et in libris Polonorum chronicis et in codicibus manuscriptis bibliothecae Ossolinianae Bielowski se detexisse sibi persuasit, paene anxia cum diligentia et considerate in censum venire patiemur, ne quid, quod scriptorum ipsorum sit, Trogo vel Iustino adiudicemus. Huc accedit, quod tales sunt, ut res modo spectent et dicendi genus a Trogo vel Iustino usurpatum aspernantes sua ipsorum lignua et ea quidem inculta atque vocibus barbaris inquinata, quae a Trogi aetatisque eius puritate atque elegantia linguae abhorret, utantur, id quod quale sit interpreter non oportet.

Haec omnia paucis praefatus sum, quod magni infra ea fore momenti puto et proferendum est, quomodo quae animo intendo paraturus sim; iam ad instituta ipsa pergamus.

Unum, quod Trogi ipsius dictionem oculis subiicit atque evidenter nobis indicat, ideoque gravissimum fragmentum unde quaestio nostra de studiis illius Sallustianis proficisci debet, est

oratio Mithridatis[2]),

qua facit eum scriptor usum ad copias in contionem convocatas, cum bella cum Romanis rex suscepturus esset. Quam leviter transiens ac tantummodo perstringens, postquam Mithridatis epistulae apud Sallustium[3]) ad Arsacen, Parthorum regem, missae cognitionem cepisti, quasdam orationis similitudines cum epistula ilico conspicies, quae, quo acrius ambas contemplatus eris atque contenderis, eo magis augebuntur. Non temere igitur, ut opinamur, Trogum Sallustiumque inter se coniunctos esse statuimus et illum huic studuisse. Sic enim intellectam volo scriptorum vicinitatem, non, quod poterat, ad fontem utrique communem relatam. Quod in iis, quae sequuntur, demonstrabo. Isto modo rem sese habere cum mihi in opinionem venerit ad eamque confirmandam, ut, quae fore suspicatus sim, ea vere dicta videantur,

---

[1]) cf. Bernhardy Röm. Litgesch.^{3} p. 613.
Teuffel Röm. Litgesch.^{3} § 258 p. 557.

[2]) Iust. l. XXXVIII c. 4—7.

[3]) Sall. histor. l. IV frgt. 19 (ed. Kritz) = l. IV frgt. 61 (ed. Dietsch).

tum aggressus coniecturae vel ab aliis fidem non abrogari atque adeo fieri cognoverim: utrum laetitiam voluptatemque maiorem inde perceperim an iniquiore tulerim animo, quod nulla re nova exprompta vestigia virorum doctorum a me premi me fugerit, non habeo quod dicam.

Quorum in numero primum verba Bongarsii addo, qui in commentario ad Iust. l. I 1, 1 sic scripsit: ‚— Sallustii, cuius studiosum fuisse Iustinum aut Trogum ipsum et hic locus et alii satis indicant'. De oratione autem nostra Gutschmidius in commentatione iam super laudata (p. 189) profitetur: Auf die Färbung einzelner Stellen der Rede mag übrigens auch der Brief des Mithridates an Arsaces bei Sallustius Einfluss gehabt haben; man vergleiche etc., quo dicto nonnullos inter se componit locos. Wassii verba, quae in annotationibus[1]) in Sallustium, si occasio tulerit, proposuit, paullo infra sequentur (cf. p. 90).

Haec certe sufficient, ut ad exquirendas similitudines progredi audeam, quas intercedere et equidem sensi et quod alii iam antea noverint gratulor. Quamquam re quidem orationem et epistulam non plane concinere ex rerum condicione consentaneum videtur, ratio tamen orationis eadem est atque epistulae et consilia Mithridatis in ambabus prolata nequaquam sunt diversa et imparia.

Primum revocemus in memoriam et computemus, quae in tempora Sallustius epistulam imponat quomodoque ea enarret, quatenus continuationem seriemque rerum e paucis fragmentis nos cognoscere licet.

Mithridates, Ponti rex, dirimens pacem paulo ante conciliatam, Romanos Nicomedis tertii, Bithynorum regis, testamento a. 75 a. Chr. n. heredes scriptos aggressus erat, quorum proxima vicinia ei metum iniecisset, ob quem filio Nysa orto, qui falsus neque legitimus vulgo convincebatur, statim post patrem defunctum faverat (Sall. h. II 48. IV 61, 9. ed. Dietsch). Adversus eum in Pontum L. Licinius Lucullus et M. Aurelius Cotta alter consul cum classe in Propontidem missi sunt. Tam prospera autem belli fortuna initio Mithridates usus est, ut Bithynia plane occupata Cottae exiguas copias atque naves intra Chalcedonis muros et portum perfugere cogeret, ubi obsedit (II 50. 52. 53). Eodem cum Lucullus profectus esset, ubi viribus omnibus Romanorum collatis, non in aspero atque invio agro Pontico longius sito de summa rerum in belli eventum decerneret, rex obsidione desistens Cyzicum cum copiis se convertit (III 13—15), ut urbe expugnata totam invaderet Asiam. Sed dum perseverans in oppugnatione urbis

[1]) Quas cum aliis adiecit Sigbertus Havercampius Sallustii suae editioni. Amstelodami, Utraiecti, Hagae Comitis 1742.

circa muros haeret, ipse per Lucullum a tergo operibus clausus (III 17) omnique commeatu privatus est, qua ex re tam vehemens pestis in exercitu saevire coepit, ut amisso ingenti militum numero, cum navali quoque proelio Lucullus duces regis oppressisset, rebus infectis discedere cogeretur (III 16. 18—29). Post Mithridatis a Cyzico fugam classe regia a Lucullo, qui in Troadem persequebatur (III 39. 40), prope Lemnum insulam victa (III 30) rex in regnum paternum fugatus est, inter quae Cotta legatique eius bellum Bithyniae intulerant. Mithridatem, postquam prostratus ingentibus cladibus ad internecionem pervenit, cum acrius coepisset impugnare, ut illatas sibi a Romanis iniurias propulsaret, res iniquae exegerunt. Lucullus, qui hostes petere pergebat, auctumno a. 73 exercitum in regionem Ponticam opulentam neque ab ullo unquam hoste attactam introduxit (III 41—52), unde Mithridates obstinatus bellum arcere defugiens proelia magis magisque penitus in interiora recessit, difficilibus relictis aditibus et commeatu Romanis undique clauso. Quamvis inopia et fame premeretur (III 34), celeriter dux Romanus Halyn transgressus, Amiso (IV 42), Themiscyra (III 49) aliis oppidis frequentibus cinctis insecutus est, quoad itineribus quidem, non conclusionibus hibernum tempus finem imposuit. Ineunte a. 72 vere confestim ad Cabyram exercitum admovit, ubi secundo proelio ingentes copias ex omni regno a Mithridate adductas non modo profligavit, verum etiam confusas dissolvit (IV 44—47). Legionibus Romanis si in officio contenti severitatem ac disciplinam servavissent et praedae aviditatem coercuissent, vix quisquam evasisset et rex ipse sine dubio esset captus. Postquam oppida oppugnata, quamquam pervicaciter resistebant, a. 70 in Romanorum potestatem redacta sunt, Lucullus ingressus regnum Tigranis, Armeniorum regis, qui Mithridati socero nihil aliud quidem nisi receptaculum praebuerat, tamen quominus Appio Claudio imperatoris legato expostulanti traderet recusabat (IV 48), exercitu Euphratem flumen traiecto recta Tigranocerta Armeniae caput contendit (IV 50—53). Quam ad urbem a Lucullo a. 69 reportata victoria, illustrissimum decus inter gloriosas res bellis a Romanis gestas, non magis eximia fuit quam tantum profecit, ut omnium, quibus tunc Tigranes imperabat, regionum possessionem Romani nanciscerentur et omnes Armeniorum copiae deletae essent (IV 50—60). Verum Mithridati perpesso per imperium quinquaginta annorum maximas fortunae vicissitudines generi causa, atrocissima clade apud Tigranocerta accepta, adhuc integra esse neque perdita, in angustiis versari Lucullus videbatur, si bellum eleganter continuaretur et coniungeretur. Ut ipse summae rerum praeficeretur et rem publicam capesseret, ingenio impigro atque acri facile est adeptus. Novos socios, quibus opes reparare posset, acquisiturus Parthos

imprimis irritare cupivit, ad quorum regem epistulam hoc spectantem eum dedisse Sallustius perhibet.

In quod autem tempus longe distans Mithridatis oratio pertinet, cuius exemplum a Pompeio Trogo perscriptum Iustinus epitomae inseruit? Postquam ut prioribus aetatis annis se gesserit Mithridates et consilia augendi regni imperio inito molitus sit, ll. XXXVII et XXXVIII c. 1—3 scriptor prodidit, in extremo cap. 3 de bello contra Romanos iam inchoato disserit, cui Mithridatis orationem ad inflammandos milites annectit, qua copiis excitatis tum primum ‚in Romana bella regem descendisse' dicit. Quam in scriptorum discrepantiam, quae ad commentationem meam tractandam multum valet, infra redibo.

Quamquam igitur Sallustius et Pompeius Trogus quod ad tempus pertinet dissentiunt, tamen multis in rebus sermonis, quem supra diximus, mirum in modum consentiunt, etiam saepe paene ad verbum conspirant. Quam ad rem comprobandam conferas locos, qui sequuntur, tam congruos, ut quae contendimus primo obtutu eluceant.

Sall.	Iust.[1]
1: Omnes, qui secundis rebus suis ad belli societatem orantur, considerare debent, liceatne tum pacem agere.	4, 1: Optandum sibi fuisse ait, ut de eo liceret consulere, bellumne sit cum Romanis an pax habenda.
addas Cat. 17, 5: bellum quam pacem mallent.	
2: nisi hostes oportuni[2] . . . neque petere audeam societatem.	2: quin vero sit resistendum impugnantibus quippe adversus latronem.
22: latrones gentium obpressisse. cf. Cat. 59, 5.	
10: me, quem per Nicomedem bello lacessiverunt.	3: an liceat quiescere non tantum animo hostiliter, sed etiam proelio congressis.
11: ultum ego iniurias . . . . Asiamque recepi.	4: Romanos vinci posse cognitum . . . sibi.
13: Marcum Cottam, Romanum ducem, apud Chalcedona terra fudi, mari exui classe pulcherrima.	

[1]) Iustini verba laudavi ex Iusti Ieepi editione Lips. 1849.

[2]) Romani sunt oportuni, quia quasi ante portum sunt i. e. vicini et prope instantes impetumque minantes, quemadmodum recte Kritzius h. l. interpretatur.

ob ipsorum interna mala.	11: Iam ipsam Italiam . . . nunquam . . . satis illi pacatam . . .
	13: hoc ipso tempore universam Italiam bello Marsico consurrexisse.
	14: et gravius vicino Italiae bello quam domesticis principum factionibus urbem premi, multoque periculosius esse Italico civile bellum.
17: neque quicquam a principio nisi vi partum habere, domum coniuges, agros inperium?	c. 5, 7: quorum nihil est nisi bello quaesitum.
cf. hist. I 48, 15: cui nihil est domi nisi armis partum aut per iniuriam.	
10: per Nicomedem bello lacessiverunt.	10: Nicomedem praecepto illorum bellum sibi intulisse: quia ultum ierit se, ab ipsis ventum obviam in eo.
11: Atque ego ultus iniurias Nicomedem Bithynia expuli.	
5: Namque Romanis cum nationibus, populis, regibus cunctis una et ea vetus causa bellandi est, cupido profunda inperi et divitiarum.	c. 6, 1: Quippe non delicta regum illos, sed vires ac maiestatem insequi neque in uno se, sed aliis quoque omnibus hac saepe arte grassatos.
15: morem suum omnia regna subvortundi secuti.	7: omnibus regibus legem odiorum dixisse.
17: omniaque non serva et maxume regna hostilia ducant.	
8: Eumenem, cuius amicitiam gloriose ostentant, initio providere Antiocho, pacis mercedem, post habitum custodiae agri captivi, sumptibus et contumeliis ex rege miserrumum servorum effecere, simulatoque inpio testamento filium eius Aristonicum, quia patrium regnum petiverat, hostium more per triumphum duxere: Asia ab ipsis obsessa est.	3—4: sic rursus Eumenem, cuius classibus primo in Asiam fuere transiecti, cuius exercitu magis quam suo et magnum Antiochum et Gallos in Asia et mox in Macedonia regem Persen domuerant et ipsum pro hoste habitum eique interdictum Italia, et quod cum ipso deforme sibi putaverant, cum filio eius Aristonico bellum gessisse.
6: Ei subvenientem Antiochum concessisse Asiae per dolum avortere ac mox fracto Philippo An-	

tiochus omni cis Taurum agro et decem milibus talentorum spoliatus est.	
19: Persen deinde, Philippi filium, post multa et varia certamina . . . insomniis occidere.	
5: cupido profunda inperi et divitiarum.	8. luporum animos . . . imperii divitiarumque avidos ac ieiunos habere.
16: ab illis ad praedam peteris.	
17: convenas olim sine patria parentibus, cum peste conditos orbis terrarum.	c. 7, 1: se . . . clariorem illa conluvie convenarum esse.
	c. 6, 8: conditores suos lupae uberibus altos.
4: mihi fortuna . . . usum dedit bene suadendi.	c. 7, 9: quid se duce possit efficere tantus exercitus, quem sine cuiusquam militum auxilio suamet unius opera viderint . . . cepisse.

Istis, quae modo attuli, exemplis haud scio an etiam sit addendum:

18: Namque pauci libertatem, pars magna iustos dominos volunt.	c. 4, 11: pro libertate alios, quosdam etiam pro vice imperii bellis continuis perseverasse.

Quae verba unum atque idem eodem fere modo eloqui videntur, quod in sententiarum ordine plurimum discrepans apparet.

Negari sane nequit, fieri posse, ut illas, quas modo enumeravi, aequalitates et eas quidem sententiarum tantummodo leves et fere nullas aestimes. Quid est, cur scriptores duo non pendentes alter ex altero easdem mentes, eadem consilia, easdem sententias eidem Mithridati attribuant in formis ultro inter se differentibus, praesertim cum tota mente in idem incumbat, ut animos contra hostes accendat et exacerbet, qua in re vituperando, ut assolet, detrahuntur, quo maior animus afflictis copiis vel socio acquirendo addatur, et ut splendida verba culpae suae iniuriisque oblatis praetendat, ne in iure suo se non consistere probet? Prorsus quot quantisque locis Pompeius Trogus cum Sallustio verbis non modo, sed etiam sententiis discrepet si quis respexerit, magnae certe audaciae consilium iudicet, cum ab istis proficiscens scriptorum contentionem facere conaturus sim.

Huic autem argumentationi optimo iure id opponere mihi videor, multas et evidentes esse causas, ex quibus disquisitionem susceptam ad effectum perductum iri censeo. Illas enim differentias, quae quidem occurrunt, in tempora, quae supra narrando explicavi, diversa et in scriptorum ipsorum studia operaque referen-

das esse satis verisimile est. Ad quas summovendas sive ad rerum naturam revocandas sufficiet, quod perscrutemur, quaenam sola Pompeius Trogus, quem alterum ante oculos habuisse contendimus, ab hoc petere potuerit, quo facto similitudines illas paucas quidem haud contemnendas extare inveniemus.

Iustum bellum se conflare Mithridates nisi Pompeianus docere non potest, praesertim cum simultates, quas cum Romanis Paphlagonia, Cappadocia, aliis terris occupatis susceptas habebat, verum si quaerimus non modo non in incerto relinquerent, uter vicinorum curans negotia pacem turbaverit, sed Romanis potius in culpam converterentur, id quod ex Appian. Mithridatic. c. 16—18 luculenter apparet[1]. Licet Mithridates Bithynia Cappadociaque ex imperii proferendi cupidine possessa materiam et ansam dissensionum praebuerit, quid causae fuit Romanis, quare adducti precibus Asiae incolarum vexatorum remedia sint polliciti, nisi ut ipsi quoque terras illas aliquando obsiderent? Qaid? Nonne Nicomedem et Ariobarzanem restitutos in regna hortati sunt, ut vicinam Mithridatis dicionem incursionibus vexando materiam belli quaererent (*ἀνέπειθον τὴν γῆν τὴν Μιθριδάτου κατατρέχειν καὶ ἐς πόλεμον ἐρεθίζειν ὡς Ῥωμαίων αὐτοῖς πολεμοῦσι συμμαχησόντων* cap. 11 p. 449, 18 ed. Mendelssohn)? Pelopidae regis *ἀδικουμένου* legati querelis tumide et fortiter respondetur, nam *ἔγνωστο ἐκ πολλοῦ τοῖς Ῥωμαίων στρατηγοῖς ἐπικουρεῖν Νικομήδει καὶ ἐς ὑπόκρισιν τῆς ἀντιλογίας ἠκροῶντο* propter *τὴν τοῦ Μιθριδάτου φιλίαν ἐνσύνθηκον ἔτι οὖσαν* (cap. 14 p. 452, 25). *Ὡς ἐμφανῶς ἤδη πρὸς Ῥωμαίων ἀδικούμενος* (cap. 15 p. 453, 12), cum eos iterum loqui volentes inhibuissent, Mithridates Ariobarzane expulso regno potitus est, quod qui excusabat *φορτικώτερον αὐτὸν εἰπεῖν ἡγούμενοι ἐκέλευον αὐτὸν (Πελοπίδαν) εὐθὺς ἐξιέναι τοῦ στρατοπέδου* (cap. 16 p. 455, 18). *Ταῦτα εἰπόντες οὐκ ἀναμείναντες περὶ τοσοῦδε πολέμου τὴν βουλὴν ἢ τὸν δῆμον ἐπιγνώμονα γενέσθαι στρατιὰν ἤγειρον* (cap. 17 p. 455, 16). Quae historiae auctorem illum, qui quod aliis in rebus descriptis Romanis nimis faverit incusatur, secundum eos non composuisse, nemo erit quin existimet; immo vero verissime[2] eum scripsisse probabile est, quibus in capitibus vel ex Romani scriptoris, Livii,

[1] Res ita sese habere Mommsenus quoque hist. Rom.⁴ II p. 285 fin. pro certo putat.

[2] cf. Alex. Dominici de Appiano rerum Romanorum scriptore Graeco comm. Confluentibus 1844 p. 19 sqq.

libris Appianum hausisse Reinhardus Iordan[1]) opinatur. Atqui Iustinus vel Pompeius Trogus, quamquam in prioribus capp. l. XXXVIII animos nostros a Mithridate alienavit, tamen procedente libro facere non potuerit, quin tali rerum gestarum expositione incorrupta fide, qualem apud Appianum legimus, addita in orationem regis ad sollicitandas contra Romanos civitates huic veritatis aliquam speciem imponendam fuisse cognoverit. Qua in re facultatem et sollertiam scriptoris nostri laudare ac probare debemus, qua adversarium ex ipsius iudicio quae facta sunt explicantem induxisse ei bene contigerit. Has autem res quam penitus Trogum praeter ceteros inspexisse putas, quem priorum quidem Mithridatis imperii annorum historiam complexum esse ex Iustini epitome elucet? Quae subesse videntur ei, quod a Trogo solo orationi interpositum est, quod apud Sallustium non extat neque extare potest, cum ut regem cum Romanis iam congressum describeret sibi proposuit. Apud hunc enim agebatur, num Mithridates multis fortunae acerbitatibus acceptis Parthorum regem ad societatem commoveret, quo bellum recollectis viribus de integro exoriretur. Itaque postquam belli originem breviter astrinxit, quomodo adhuc gestum sit, narravit ita illustrans, ut procul abesse non potuisset, quin Parthos societate et foedere sibi adiungeret. Contra pericula autem, quae instare regi Mithridates affirmat, a Trogo praedicanda erat belli condicio facilis et expedita, in qua nimium depingenda non perquam exiguum sapit (cf. cap. 4, 5—16. 7, 6—8.).

Qui scriptores nostros inter se propter hos, quos modo attuli, locos certare praetendit, meminerit hasce discrepantias nunquam prorsus vitari posse ab historico, qui alterius relationem non describere, sed convertere in rem suam sibi proposuerit. Talia nihil valent, dum cetera mira concordia extant. Quae qui neglegens alterum ex altero rerum scriptorem hausisse negat, rationem et modum eorum, qui historias componunt, nescire putandus est.

Ut summarium traditionis Sallustianae Trogum praebere suspicari liceat, eo quoque adducimur, quod nonnulla congrua verba ex oratione epistulaque apponere possumus; sed de iis scrupulos me stimulare ac pungere non nego, ne forti magis quam scriptoris consilio debeantur.

Age vero conferas:

Sall.	Iust.
§ 13: Marcum Cottam . . . apud Chalcedona fudi terra.	c. 4, 4: qui et in Bithynia Aquilium et Maltinum in Cappadocia fuderint.

[1]) Reinh. Iordan de fontibus Appiani in bellis Mithridaticis enarrandis Gottingae 1872.

4: ego non validissumus praebeo exemplum, quo rectius tua componas.	4, 5: ac si quem aliena magis exempla . . . moveant.
6: Antiochum concessione Asiae . . . avortere.	5, 3: Phrygiam, quam . . . praemium . . . concesserant.
5: Namque Romanis cum nationibus . . . causa bellandi est.	5, 10: et nunc eam secum bellandi illis causam fore, quod.
8: hostium more per triumphum duxere.	6, 6: quin . . . triumphi spectaculum experiretur.

Non minoris haesitationis locus est, num recte putemus non per aliquot capita Trogum e Sallustio pendere, sed totum eum in componenda oratione ante oculos vel in memoria habuisse. Possunt enim illa, quae proferre mihi in animo est, ab acri subtilique iudice non talia accipi, qualibus si quis nitatur satis caute atque diligenter iudicet. Quae ratio conspici potest in his:

Sall.	Iust.
Iug. 102, 12: se non hostili animo . . . arma cepisse.	c. 4, 3: non tantum animo hostiliter . . . congressis.
Cat. 20, 10: victoria in manu nobis est; viget aetas, animus valet.	4, 4: sibi victoriae fiduciam, si sit illis animus,
Iug. 112, 1: sibi . . . cognitum posse condicionibus bellum poni.	vinci posse cognitum non sibi magis quam ipsis militibus.
Cat. 52, 24: Gallorum gentem infestissumam nomini Romano.	4, 9: Gallorum autem nomen, quod semper Romanos terruit.

Adhaeret sensu praegnanti vocabulo ‚nomen' gloriae claritudinisque significatio, ut apud Sallustium h. l., qui mihi ansam dedit haec dicendi, Iug. 5, 4. 10, 2. 58, 3. al.

Iug. 49, 2: cum iis certamen fore, quos antea victos sub iugum miserint.	4, 12: deletos Romanorum exercitus ferri, a quibusdam novo contumeliae more sub iugum missos.
Cat. 5, 18: genus poenae novom.	
Iug. 109, 2: quaesitum pacem an bellum agitaturus foret.	5, 2: Non enim quaeri an capiunda sint arma.
Iug. 35, 10: iussus a senatu Italia decedere.	5, 4: Paphlagonia se decedere iusserint.
Iug. 82, 3: victoria ex manibus eriperetur.	5, 7: raptum sibi esse victoriae ius.
Iug. 5, 4: Massinissa, rex Numidarum, in amicitiam receptus a P. Scipione, cui postea Africano cognomen ex virtute	6, 5 Nullius apud eos maiora quam Massinissae, regis Numidarum, haberi merita: huic imputari captum Syphacem, huic

fuit, multa et praeclara rei militaris facinora fecerat, ob quae victis Carthaginiensibus et capto Syphace etc.

Carthaginem deletam; hunc inter duos illos Africanos tertium servatorem urbis referri.

Cat. 19, 5: sed inperia saeva multa antea perpessos.

7, 2: nullam . . . gentium expertam peregrina imperia.

Iug. 13, 1: iniusta inperia dominorum non perferunt.

Iug. 32, 5: eique timido et ex conscientia diffidenti rebus suis.

7, 4: Multoque se timidius ac diffidentius bella Pontica ingressum, cum ipse rudis ac tiro esset.

Iug. 96, 1: rudis antea et ignarus belli.

Sententiam autem nostram ut amplectamur scrupulis exemptis, denique eo potissimum commoveamur, quod Trogum verbis quibusdam, quae Sallustii propriae sunt dictionis, usum esse invenimus; velut

Iug. 68, 1: ultum ire iniurias festinat.

5, 10: quia ultum ierit se.

Ex frequenti apud comicos usu haec verborum motum significantium cum supino structura in orationis solutae sermonem urbanum transiit, ubi prima exhibet exempla M. Portius Cato[1]). Cuius cum aemulatorem Sallustium fuisse inter omnes constet itaque vigeant apud nostrum supina illa, quae conatum studiumque vel voluntatem aliquid faciendi indicant, ut longum sit omnia enumerare exempla[2]), et verbi ulciscendi supinum cum ‚ire' coniunctum primus Sallustius usurpaverit[3]), hinc Pompeii Trogi locum a nobis repeti non est amentiae.

Accedit:

Iug. 72, 1: aliter atque animo gerebat.

c. 5, 5: quin acerbius in dies gerant.

Verbum enim gerendi cum adverbio iunctum omisso pronominis reflexivi accusativo apud neminem scriptorum ante Sallustium reperias, qui vocabulo isto primus sententiam: esse, se gerere, sich benehmen, sich verhalten, auftreten subiecisse videtur. Secundum leges grammaticorum adverbium hic obiecti vice fungitur, quae loquendi consuetudo per Sallustium in usum recepta est, ut

---

[1]) Inter historicos veteres solum Catonem eumque frequentissime illa constructione usum esse docet Gustavus Bruennert de Sallustio imitatore Catonis, Sisennae aliorumque veterum historicorum Romanorum Ienae 1873. p. 10.

[2]) cf. Badstuebner de Sallustii dicendi genere comm. Berlin 1863, qui p. 48 multa congessit.

[3]) cf. Draeger historische Syntax der latein. Sprache Leipzig 1876. II p. 829.

exempla, quae Hercherus[1]) et Anschuetzius[2]) collegerunt, declarant. Num iniuria hanc quoque Trogi dictionem ad Sallustium referendam esse censeo?

Deinde attingit

Sallustium	Iust.
(apud quem circiter sexcenties[3]) reperitur)	c. 7, 9: solus mortalium.

Cum emphasi persaepe vocem ‚mortales' pro ‚homines' Sallustius adhibuit, post quem a Livio quoque et Plinio aliisque usurpata est locutio, quam Gell. XIII 29[4]) indicare videtur nostrum petiisse a Claudio Quadrigario, a Sisenna eius fragmentum ‚Utrumne divi cultu erga se mortalium laetiscant', quod Nonius II de hon. et nov. vet. dict. per litt. p. 91 ed. Gerl. et Roth s. v. laetiscant servavit = frgt. 123 Peteri reliqu. hist. Rom. ed., demonstrare Bruennertus l. l. arbitratur, quod ille non additis ‚multi' et ‚omnes' vocabulis in hoc loquendi more recedente ab usitato Sallustio praeierit. Ad Sallustium autem nonne recte Trogi illud contuli? Tantum abest ut ex istis scriptoribus rerum depromptum sit, quam ad sententiam stabiliendam nihil est praesto, ut Sallustium esse fontem cum e locis iam collatis, tum ex aliis, quas infra apponam, causis moneam.

Quamquam omnibus illis locis argumentisque, quibus postremis usus sum, fidenti animo, quo par est, acquiescere non liceret, nisi a Iustino ipso disertissime planissimeque esset affirmatum Trogum Sallustii operum non fuisse ignarum. Hac ex re demum, quae hucusque exposui, quanta sint quamque vim afferant in docendo, luculenter patet. Quam orationem sc. Mithridatis, inquit epitomator l. XXXVIII 3, 11, dignam duxi, cuius exemplum brevitati huius operis insererem; quam obliquam Pompeius Trogus exposuit, quoniam in Livio et in Sallustio reprehendit, quod contiones directas pro sua oratione operi suo inserendo historiae modum excesserint. Utcunque Trogus de Sallustio iudicaverit (id nihil ad rem!), hoc quidem refelli nequit, quod sententiam libris illius pervolutis et oculis, non auditu compertis habitis dixisse putandus est. Rationes fultae ac sustentae coniecturis et firmis et lubricis erant, quibus adhuc usque e Sallustio fluxisse Pompeium Trogum demonstrare suscepi; nunc vero manifestum

---

[1]) A. Hercher der Akkusativ bei Sallustius Gera 1878 Progr. p. 16.
[2]) Aug. Anschuetz selecta capita de syntaxi Sallustiana Halis 1873 p. 38, 3.
[3]) videas Laws de dicendi genere Sallustii Rössel 1864 p. 8.
G. Bruennert l. l. p. 25.
[4]) Metellus in Capitolium venit cum mortalibus multis.

quasi atque grave accessit testimonium Trogum ex Crispi historiis hausisse.

Tota quaestio Sallustiusne fons fuerit, cum non praedicetur, in suspenso prope erat relinquenda, nisi confessio illa omnem nobis dubitationem praecidisset.

Sententiam meam si quis concedet — et nunc debent sane omnes concedere —, id quoque mecum statuet, Mithridatis apud Trogum orationem, quod attinet ad res grammaticas, cum eiusdem apud Sallustium epistula non modo cohaerere, sed etiam congruere. Obliquam Pompeium Trogum orationem exposuisse nobis dicitur, quod contiones directas a Sallustio operi suo insertas historiae modum excedentes non approbaverit. At oratio, quae per quattuor capita non brevia decurrit, ultra modum nonne egreditur? Quod exemplo Sallustiano esse elicitum quid est quod negemus? Adiice autem, quod ille, cui obliquam totam orationem componere placuit, immemor fuit propositi. Sententiae enim de Sallustii Liviique dicendi genere illo ne te quidem assentiri est mihi persuasum. Itaque quasi molestias orationis obliquae, si longius extenditur, statim ipse demonstrare velit, saepius coeptam constructionem neglegit transeundo ad orationem directam ita, ut indicativum pro coniunctivo in enumeratione secundaria ponat, nonnunquam etiam personam primam pro tertia exhibeat atque pronomina primae et tertiae personae inter se permutet[1]). Qui aliter Trogum, quod ab aliis postulabat, ut orationes scriberent obliquas, id ipsum iusta ratione praestare non potuisse nobis intellegendum est, quam ad verba Sallustii nimium sese applicavisse multique fuisse laboris, quae in animo quasi insculpta habebat, eorum memoriam tollere?

Iam vero quaestionem institutam, num oratio, quam Trogus praebuit, ne dicam prorsus, sed imprimis certe Sallustii auctoritati debeatur, cum eo pervenisse arbitrer, ut certum aliquid decerni potuerit, persequamur, quae, quamquam et in verbis et in rebus magna extat inter Trogum et Sallustium similitudo, tamen quominus ad Sallustium sine ulla dubitatione referamus multae res non tam obstant quam dehortantur, ne captatores non coniecturarum, sed nugarum esse videamur. Nihilo minus allaturus sum locos hos sententiis verbisque consonos et congruentes, dubitans an ad unum omnes tam levis sint momenti, ut ne dicam fieri non potuisse, sane verisimile non sit, quin modo hic modo illic Trogus Sallustii vestigia presserit.

De hac inter eos concordia cf.

---

[1]) Sic Fridericus Fischer l. l. p. 62.

Iust.	Sall.
c. 4, 2: spes victoriae.	Cat. 41, 2. 58, 18. Iug. 48, 2.
‚si' in enuntiatis concessivis positum idem valet atque, etiamsi.'	Cat. 58, 6. Iug. 14, 7; 16. 85, 48.
pro salute ferrum stringere.	Iug. 94, 5. 114, 2. hist. II 41, 9.
5–6: audire se a Pyrrho . . . fusos . . . Romanos. Audire Annibalem . . . inmoratum.	hist. I 41, 4.
7: Italiam ingressos inbellis.	Iug. 27, 7. hist. inc. 12. Iug. 20, 2. 44, 1.
8: hostem remotum.	hist. II 96, 4.
9: genus pugnae.	Cat. 51, 18.
c. 5, 4 genus belli.	
11: pro libertate.	Cat. 58, 11. Iug. 31, 17. hist. III 61, 4.
12: novus mos.	est usitatissima apud Sall. vox.
15: simul et (zugleich auch).	Iug. 20, 1. 25, 5. 73, 2. 84, 5. 97, 1.
15: feri populi.	Cat. 10, 1. Iug. 80, 1.
cap. 5, 1: vacuos et quietos.	hist. inc. 36. ‚quietus' saepe usurpatum invenias.
maius negotium habeant.	adamatum a Sall.
2: arma capere.	saepissime.
3: Phrygiam ademerant.	Cat. 12, 5. hist. I 48, 14.
4: Paphlagonia, quae . . . obvenisset.	Iug. 27, 4.
5: inter hanc decretorum amaritudinem.	Cat. 43, 3.
parendo.	absolute positum est Iug. 7, 4.
5; 9: obtinuisse (erlangen, erhalten).	Iug. 7, 4.
6: Phrygiam dimittere.	hist. I 41, 7.
8: in gratiam illorum.	hist. I 10.
9: libertatem delatam.	Iug. 31, 5.
10: praecepto illorum.	Cat. 44, 1. Iug. 13, 7.
10: se Nicomedi lacerandum praebuerit.	hist. III 61, 21: Pompeium lacerandum. hist. III 61, 6: vos singulis habendos fruendosque praebere.
c. 6, 1: hac arte grassari.	Iug. 1, 3. 64, 5. hist. inc. 96.
3: classibus in Ariam transiecti [transvecti (al.)]	Iug. 18, 5.
exercitu . . . regem domuerant.	Cat. 10, 1. 36, 4. hist. III 53.

4: pro hoste habitum.	Iug. 103, 5.
5: maiora haberi.	Iug. 92, 1.
Carthaginem deletam.	Iug. 41, 2.
6: patris memoriae.	Iug. 24, 10.
6: triumphi spectaculum experitur.	Iug. 14, 23; ‚experiri' frequens est.
c. 7, 2: imperia experiri.	
7: scilicet quia . . . habuerint.	Iug. 85, 25. hist. I 41, 17.
pastores Aboriginum.	Cat. 6, 1.
8: divitiarum avidos.	Iug. 15, 4.
c. 7, 2: quarum gentium nullam . . . attigisset.	Iug. 17, 1 (ubi attingendi verbo alia inest vis!)
4: virtus animi.	Cat. 1, 5. 2, 3. 53, 1.
locorum solitudinibus.	hist. III 52, quem locum in descriptione Ponti statuendum esse Kritzius monuit.
ingens militiae periculum ac labor.	Cat. 10, 2. Iug. 44, 1. 85, 7; 30. 92, 8. hist. II 41, 14. 96, 1. III 61, 18.
5: inter quas difficultates.	Cat. 57, 2. Iug. 7, 1. 90, 1.
spes praemii.	hist. III 8.
hostis vagus.	hist. II 80
ingredi diversam belli conditionem.	hist. II 45. Iug 42, 1. 43, 2. Cat. 21, 1.
6: bellum facile.	Iug. 36, 3. 83, 1.
7: avida Asia.	hist. II 19.
8: calumniarum litium.	Cat. 30, 4.
9: Scythiam adire.	Iug. 89, 1.

Quorum de nonnullis supra disserere et addere quaedam in rem esse videtur.

Ac primum quidem in elementis grammaticae disciplinae usum formarum tertiae personae pluralis perfecti activi in --ere exeuntium e Sallustio Trogum sibi vindicasse pro certo affirmo. In Sallustii enim scriptis infinita prope et innumerabilia[1]) illius terminationis exempla inveniuntur, contra quae exiguus numerus in ‚erunt' desinentium pugnat, cum nunquam apud Nepotem, apud Ciceronem nisi tribus locis non legamus[2]) formam in ‚ere.' Quin Trogi c. 4, 10: ‚ubi consedere' et 6, 3: ‚fuere transiecti' non ita quidem valere

[1]) cf. Cat. 45, 3 p. 173 sqq. ed. Dietsch. Lips. sine anni indicio. Laws l. l. p. 10 cap. VI.

[2]) Zumpt lat. Grtk.[9] p. 175, 5.
Reisig's Vorlesungen über lat. Sprachwissenschaft mit Anmerk. von Haase p. 244. Anm. 269.
Neue lat. Formenlehre[2] II p. 390.

profitear, ut prorsus omnes in sententiam meam statim adducantur, facere non possum, sed illum obliqua oratione usum scribere, in qua complures indicativos ut inferret copia non erat, memoria teneamus; quo accedit, quod reliqui Iustini epitomes libri formis in —ere desinentibus paene turgent, quamobrem eas historicum e Sallustio, qui ita loqui amabat, mutuatum esse haud dubito statuere.

In declinando vocabulo ‚Perseus' Trogum a trita dicendi ratione recessisse Reckius[1]) monet verba faciens: Wenn nun gar von Perseus der Accusativ Persen heisst XXXVIII 6, 4, so kann diese Bildungsweise, wenn man nicht etwa den Nothbehelf, dass ein Nominativ Perses anzunehmen sei, wie er bei Cic. Cat. IV 10 steht, gelten lassen will, nur für abnorm erklärt werden, quae sententia plane refutanda est. Nomen enim regis illius Macedonici iam Sallustius casibus sic immutavit: gen: Persi[2]) hist. I 6 (genitivum formam secundae declinationis ‚Perseus' sequi iussit signum ‚ei' in i contractum affigens, ut Livius declinare solet), acc: Persen Iug. 81, 1 hist. IV 61, 7, abl: Perse Cat. 51, 5 eodemque tantum modo antea Cicero primae declinationis terminationes protulit: Perses, ae, ae, en, e (a), e[3]). Illas formas instructas primae declinationis terminationibus cum ne probatissimi quidem scriptores vitent, incertus haereo, utrum e Sallustio asciverit Trogus an ad dicendi consuetudinem sese applicaverit, quae ex Cicerone manavit.

Eodem modo atque Sallustium Pompeium Trogum quoque substantiva abstracta plurali numero dixisse videmus, quibus ab usurpandis quamquam alios scriptores classicos, qui vocantur, imprimis Ciceronem, Sallustii aequalem, nequaquam abhorruisse haud ignoro, tamen ex similitudine, quae inter nostros extat, aliquid lucri quaestionis causa fieri potest. Pluralis igitur numerus usurpatur, ut significet

1) complura genera substantivi abstracti:

c. 7, 5: difficultates — cf. Sall. l. iam supra l.

aut 2) actiones, condiciones, animorum quosdam habitus, qui iterum ac saepius repetuntur:

6, 7: legem odiorum. — Apud Sall. inveniuntur gaudia: Cat. 61, 9. Iug. 2, 4.

aut 3) quod pertinet ad complura concreta:

---

[1]) Recke l. l. p. 5.

[2]) cf. Charis. inst. grtc. I (I p. 68, 19 grtc. lat. ed Keil).
ex Charis. arte grtc. excerpt. (I p. 541, 39 K.)
Prob. cathol. I (V p. 24, 28. p. 28, 18 K.).

[3]) Conr. Leop. Schneider Formenlehre der lat. Sprache Berlin 1819. I p. 313.
Zumpt lat. Grtk.[9] p. 50, 4.
Billroth lat. Schulgrtk. § 65, 1 p. 66.

4, 10: ingenia. — Sall. Cat. 8, 3; 4. 20, 2. 51, 8; 35. Iug. 103, 2.

6, 8: animi — apud Sall. tritissima vox.

aut 4) propter concinnitatem verborum[1]):

7, 10: regna hereditatibus acquisita.

2) et 3) subiungendum est:

7, 2: imperia peregrina. — Sall. Cat. 6, 7. 19, 4; 5. Iug. 3, 1. 4, 7. 31, 11. 77, 1. hist. III 61, 5; 16; 18.

Immutationis substantivorum abstractorum pro concretis, qui usus sermonis Sallustiani proprietas late patens est, exempla exhibentur haecce:

4, 6: aemulationis et invidiae studium = aemulatorum et invidorum studium.

6, 2: ‚cognitionum [al. cognationum] arbitria' positum est pro: cognitorum [cognatorum] vel iudicum.

7, 4: Scythiae locorum solitudinibus vel frigoribus instructae id est locis desertis et frigidis. — Sall. Iug. 17, 2. 74, 1. 75, 1. 80, 1. 89, 4.

Ea quam vulgo κατὰ σύνεσιν vocamus constructione, cum Ciceroni Caesarique inusitata fuerit, Sallustium haud rara usum esse permulta exempla docent, quae Anschuetzius l. l. p. 21 sqq. congessit. Sed Trogus quoque similiter c. 7, 8: se avida exspectat Asia, ut etiam vocibus vocet; adeo illis odium Romanorum incussit rapacitas proconsulum etc., ubi etiam nomen collectivae notionis cum plurali numero ipsius pronominis cuiusdam, quod ad illud refertur, coniunxit, cuius syneseos exempla satis frequentia apud Sallustium sunt, velut: Cat. 16, 1 iuventus — ex illis; 17, 7 coniuratio — apud illos; Iug. 102, 6 populus Romanus — tutiusque rati; complura alia vid. ap. Ansch. p. 22 et 23.

Huc annumero attractionis pronominis demonstrativi exemplum: 7, 10 ‚illa indicia habere, quod possideat', quocum conferenda videntur Sall. Cat. 7, 6. 20, 4. 51, 14. 58, 16. Iug. 31, 15. 85, 30. hist. I 48, 12.

Adiectivorum et participiorum pro substantivis positorum, quae Sallustio usitatissima sunt (cf. Ansch. p. 25 sqq.), pauca reperiuntur exempla:

1) mascul. plural:

4, 2: impugnantibus; 5, 1: adversus vacuos et quietos; 7, 9: solus mortalium, de quo supra disserui.

---

[1]) Eandem ineo rationem quam Anschuetzius l. l. p. 4, qui Draegeri compositonem (l. l. p. 14 sqq.) ducem sequitur.

2) masc. sing:

7, 4: rudis ac tiro.	

3) neutr. plur:

5, 5: decretorum.	Cat. 32, 2. Iug. 11, 5. 24, 3. 30, 1. 40, 1. 62, 5. hist. I. 48, 3; 17; 19. II 41, 1.
6, 1: delicta.	Cat. 3, 2. Iug. 3, 2. 32, 1. 38, 2. 45, 3.

4) neutr. sing:

5, 10: praecepto.	Cat. 44, 1. Iug. 13, 7. 94, 1. hist. III 67, 15.

Adiectivum pro adverbio ponere tam proprium Romanorum est, ut ,se avida exspectat Asia' (7, 8) vix cum similibus Sallustii locis non infrequentibus comparandum videatur.

De adverbii pro obiecto apud nostros usu iam supra p. 29 scripsi.

Nunc de casuum et modorum ratione usurpata liceat strictim quaestionem instituere et investigare, an opinio nostra de Sallustii libris in Trogi historiis fonte exposita bene quadret ad eum modum, quo hanc disciplinae grammaticae partem tractaverint.

Genitivum terrae cuiusdam verbis belli et pugnae additum, quo adversus quam vel ubi quid geratur vel gestum sit significatur, semel in Trogi fragmento genuino legimus c. 7, 4: ,bella Scythiae solitudinibus vel frigoribus instructae' = bella Scythica, quae in Scythia sunt, similiterque apud Sallustium hist. II 96, 10: ,bellum Hispaniae in Italiam transgredientur', ubi bellum, quod in Hispania est, intellegitur.

Pronominis personalis genitivi apud Trogum exemplum c. 5, 9 ,in contumeliam sui' et Sall. Iug. 80, 3 ,ad studium sui'; 85, 38 ,memoriam sui'; hist. I 60: ,ex fiducia sui'; IV 33: ,sui cultorem' nobis discernenda sunt; in quibus cum genitivus accipiatur obiectivus necesse sit, multum distant a Trogo, qui pro pronomine possessivo substantivo annectendo personalis genitivum id est subiectivum adhibuit, qui usus scriptorum aetate posteriorum Sallustio est.

Dativo ut a Sallustio creberrime post verba genere passivo usurpata idque praecipue post perfecti participium et quae ab eo repetuntur tempora ablativo cum praepositione ,a' substitutus verboque ,cognitum esse' semper[1]) ea de causa iunctus est, quod idem valeat atque ,notum esse', ita eodem sensu Trogus utitur 4, 4: Romanos vinci posse, cognitum non sibi magis quam ipsis militibus.

Sallustium compluribus sentiendi et dicendi verbis promiscue et accusativum, quem asciscunt, et ablativum praepositionemque ,de' coniunxisse atque etiam, aliquoties hanc structuram, ubi illa

[1]) Iug. 19, 7. 46, 3. 48, 1. 60, 5. 82, 3. 106, 2. 107, 3. 112, 1.

locum habebat, et contra usurpasse, obiter tibi inspicienti satis apparebit; exempli gratia: Cat. 51, 15: de poena disserunt; Iug. 30, 4: quae in contione — huiuscemodi verbis disseruit[1]); Iug. 33, 1: Romae Numidiaeque facinora eius memorat; Cat. 3, 2: ubi de magna virtute et gloria bonorum memores: Cat. 4, 3: de Catilinae coniuratione, quam verissume potero, paucis absolvam; Iug. 17, 2: cetera quam paucissumis absolvam[2]).

Quid? Si Sallustium eum ferre velim, cuius auctoritati Trogus pareat in verbis: si modo aut proximas regni Attalici opes aut veteres Lydiae Ioniaeque audierint (c. 7, 7)? Quamquam similem verborum ordinem non exhibet (— an in iis historiarum partibus, quae aetatem non tulerunt, eum extitisse opinari vis? —), tamen, quod audiendi verbum et cum rei accusativo et ablativo praepositioneque ‚de' construxit, veluti: quae agitavi — audistis Cat. 20, 5;

---

[1]) In quibus quid intersit Badstuebnerus l. l. p. 12 explicat.

[2]) Aliter autem de audiendi verbo, quod eadem ex causa huc annectere Badstuebnerus non dubitavit, iudicandum esse existimo neque huic viro doctissimo astipulari possum. Quod quidem vocabulum illos, quos dixi, casus assumit, non tamen, quod obiectum notione quasi diducta et in partes soluta indefinitum ita ut singulae partes distingui possint, aut non proponitur, quae duo, ut Badstuebnerus vult, omnem causam continent, neque quod significationis diversitatem capit, quae ad structuram pertineat. Verbo ‚audire' enim vel vim seu facultatem audiendi habere, aures praebere, si absolute est positum, vel addito, quod auditur, aliquem sive aliquid auditu percipere, auribus sentire significatur*). Ut omittam, a quo, unde, ex cuius ore aliquid hauriatur, quod ablativo et praepositionibus, ‚a' vel ‚ex' exprimitur, longe plurima exempla, si persequimur et perlustramus, accusativum sive personae cuiusdam sive animalium sive rerum, quae carent anima, non praebent nisi si animal et res ita sunt, cuius vox, strepitus, sonus, fremitus, quae edunt, ipsa audiantur, aut si res auditione et fama accipiuntur, si modo proferuntur in medium. Si vero ‚audire' est sermonem audire de rebus, quae non tradi possunt, de quibus traditur, vel hören von oder über Etwas, ut lingua nostra utar, plerumque ablativus cum praepositione ‚de' usurpari solet. Pro qua structura alteram apud Trogum interdum substitui equidem arbitror et ita interpretor, cum, nullo omnino, ut mihi videtur, notionis discrimine, accusativum legimus, ubi ablativus et praepositio ‚de' exspectantur. Sic intellegitur: hac audita pugna maxima pars Aquitaniae sese Crasso dedidit (Caes. de bell. Gall. III 27, 1); auditis hostium copiis respicerent suum ipsi exercitum (Liv. XLII 52, 10); omnes civiles dissensiones non solum eas, quas audistis (Cicer. nescio quo loco), ubi explicandum est: postquam audivit, quae pugna fuisset, sive pugnam esse factam sive de pugna commissa; si audivissent, quae copiae hostium essent vel de copiis etc.

---

*) cf. lexicon totius latinitatis I. Facciolati, Aeg. Forcellini et I. Furlanetti cura, opera ac studio lucubratum, nunc demum iuxta opera R. Klotz, G. Freund, L. Doederlein aliorumque recentiorum auctius, emendatius melioremque in formam redactum curante Francisco Corradini. Patavii 1864. vol. I. s. v. audio.

reticere, quae audierat Cat. 23, 2; quod (sc. Iugurtham circiter duum milium intervallo ante Romanos consedisse) auditum est Iug. 106, 6; — de proelio facto audiebatur Iug. 22, 1, et quod aliis in verbis hanc structuram casuum variandi ac mutandi large effuseque sibi sumpsit, illud mihi confirmatur neque mirum videbitur, quod quid habeat offensionis, Trogum structuram illam si non e Sallustio ipsam deprompsisse, at saltem ab eo fingendae vel formandae exemplum sibi petiisse.

A scriptoribus nonnullis peculiari modo accusativo ‚in' praeponitur ad finem aut consilium exprimendum, cuius causa aliquid agitur, quod concisum dicendi genus ex orationis contractione ac brevitate profectum inde a Livii tempore in usum venisse Handio in Tursell. III p. 317 videtur, quocum cf. Draegerum I p. 614. Sed iam apud Sallustium haec structura duobus locis exhibetur, qui aciem virorum illorum doctissimorum atque intentionem praeterierunt. Quanam alia ratione intellegi vis Cat. 50, 2: lectos et exercitatos in audaciam, quam scripturam multi et probati codices tenent, et hist. I 45 suspecta in tumultum erat, nisi: exercitatos ad id, ut audacia facinora suscipere ne cunctarentur, et: suspecta erat proclivis esse ad tumultum excitandum (vid. Kritz. h. l.)? De aliis taceo exemplis, quae vel errore librariorum vel casu corrupta sunt aut et aliter exponi possunt. Cuius constructionis apud Trogum tria extant exempla: cap. 5, 3: in dotem dedisset; 8: in gratiam illorum occisum; 9: in contumeliam sui delatam. Qua de causa Trogo Sallustii studiosissimo hac quoque in dictione eius studium quin tribuamus nihil obstare censeo, praesertim cum Crispus ‚in' praepositione nominibus praefixa novas notiones et primus formaverit et e Graeco transtulerit in Latinum e. g.: decus in mercedem corruptum hist. I 13; in maius celebrare Iug. 73, 5; in inmensum; planum; praesens; pravum etc.

De ‚acerbius gerere' 5, 5 supra p. 29 disserui.

Ingredi verbum cum Sallustius et proprie et translate (= moliri, suscipere) dictum[1]) semper cum accusativo iunxerit: Numidiam Iug. 28, 7; eadem Iug. 42, 1, quod accusativum esse Kritzius contendit; magistratum Iug. 43, 2; regnum hist. II 45 et al. similiter a Trogo receptum est: Italiam ingressos 4, 7; bella Pontica ingressum 7, 4; diversam belli condicionem ingredi 7, 6.

Haud scio an Sallustium oleant 5, 5: inter hanc decretorum amaritudinem et 7, 4: inter quas difficultates, quem praepositione illa, ut condiciones vel status indicet, in quibus quid vel quis versetur, primum maxime usum esse testantur Cat. 43, 3 inter haec parata atque decreta; Cat. 3, 4. Iug. 30, 3. 40, 4. 47, 3; 4. 63, 3. 66, 3. 74, 2. hist. III 61, 27. inc. 76.

---

[1]) cf. Badstuebner p. 17.

Ad ablativum transeuntes apud utrumque scriptorem in terrarum regionumque nominibus, si quaeritur, unde quid fiat, praepositionem interdum omissam videmus:

Sall. hist. IV 61, 21 (Mithrid. epist.): si tu Mesopotamia, nos Armenia circumgredimur[1]).
Iug. 39, 4: exercitus . . . Numidia deductus.

Iust. Mithrid. orat. 5, 6: Cappadocia filium eductum.
5, 4: cum Paphlagonia se decedere iusserint.

Itaque iusto iure Trogi illa e Sallustii dicendi generis imitatione expressa esse assevero.

Sallustium aliquoties ad designandum, quantum spatium temporis aliquid duraverit, pro accusativo ablativum admisisse demonstrant Iug. 94, 3: toto die intentos proelio Numidas habuerat; hist. III 34: Lucullum regis cura machinata fames brevi fatigabat, ubi ‚brevi' non ‚post breve tempus', sed rariore usu ‚per breve tempus' significare Kritzio recte videtur; Iug. 54, 1: Metellus in isdem castris quatriduo moratus, quibuscum si e Trogi fragmento c. 4, 6: ‚Annibalem . . . sedecim annos inmoratum' componimus, similitudinis inter scriptores indicium non inepte concludi potest, praesertim cum structura illa apud Ciceronem de nat. deor. II 52, 130 (‚Aegyptum Nilus tota aestate obrutam oppletamque tenet') et div. 1, 19 tantummodo[2]) (‚multis saeculis verax fuisse id oraculum') et apud Caesarem quoque rarissime inveniatur, nunquam sit usurpata tempore quod vocatur archaico.

Trogo quod in oratione obliqua saepissime indicativo pro coniunctivo usus sit ad rectam transgrediens, quam in contionibus a Sallustio semper adhibitam non comprobet, hunc subfuisse iam p. 31 statui esse verisimile; quod per se satis probabile nonnullis etiam aliis argumentis confirmabitur. In enuntiatis secundariis orationi indirectae interpositis, quae ex cogitatione alius, quem loquentem auctor induxit, proferri debebant, sive ut sua exhibet, suum ipsius iudicium menti alterius immiscens eiusque in locum

---

[1]) Quod ablativos in dubio ponamus nihil esse e duobus quae sequuntur exemplis liquet, quae eos non valere ‚in Mesopotamia' declarant, ut Faber vult, neque ‚per Mesopotamiam i. e. ea parte, qua M. est' e Kritzii sententia, ad quem quidem prope accedo interpretando: von Mesopotamien her. Falsam igitur ablativi huius persuasionem Dietschius edit. h. l. afferens ‚via Nomentana proficisci, porta Collina urbem intrare' similia et Draegerus l. l. I p. 457 sibi induerunt; quem cum Iug. 39, 4 fugerit: Auch Sallust, inquit, (ebenso wie Cicero, Caesar und Livius) enthält sich dieser Construction, denn die Ablative M. und Arm. bezeichnen den Weg, auf welchem man zum Ziele gelangt, nicht das Ausgehen.

[2]) de off. III 2, 8: triginta annis vixisse Panaetium postea quam illos libros edidisset, ablativus ex ‚postea' pendet. cf. O. Heine in edit.[3]

explicandi causa substituens, sive nominis cuiusdam notionem pluribus vocibus et per ambitum verborum enuntiat sive rei factae veritatem per se spectari vult, hocce ex fonte indicativi pro coniunctivo usum haud infrequentem repetendum esse iam omnes fere grammatici et interpretes senserunt[1]). Non recte causas perspexisse mihi videtur Dietschius, qui uberrime quidem in annot. ad Iug. 38, 9 disputans, ut singulos locos explicaret, enisus est neque, qui eius vestigia persequitur, Badstuebnerus p. 39.

Qui usus quamquam eadem ratione minime rarus est apud probatos scriptores, tamen apud Sallustium tam creberrimum locum habet, ut mirari liceat; multis locis cum dicendi legibus, quas ascripsi, non plane convenientibus scriptorem non modo quasi neglegentia quadam, sed deflectentem longius a grammaticorum praeceptis indicativum insolentius posuisse nobis confitendum est. Prolaturus exempla adiuvor a viris doctissimis, qui non pauca iam congesserunt:

Cat. 14, 7. 17, 7. 22, 2; 3. 27, 4. 30, 6. 43, 2. 45, 1. 46, 3. 50, 3; 4. 51, 32; 37; 43. 57, 1.

Iug. 7, 1. 16, 2. 24, 5. 25, 10. 29, 1. 35, 4. 36, 1. 38, 9: ‚Iugurtha verba facit: tametsi . . . tenet, tamen se . . . missurum' si legimus, ut plurimi atque optimi codices exhibent, pro ‚teneret', quod in uno extat, indicativus usurpatus non paululum offensionis habet. (49, 2 est legendum ‚miserint', cum ‚miserant, miserunt, miserat' non pauci, sed minores codices tueantur). 54, 1: ‚ad cetera, quae levia sunt, parem animum gerant', ubi Dietschius in Sall. ed. mai. solus ‚sint' scripsit, quod nullis libris confirmatur. 63, 1. 81, 1: ‚quis . . . advorsa sunt', quo loco scriptura ‚sint' cod. Parisin. 1576 probatur, quamquam permulti alii ‚sunt' retinent. 93, 1; 6, 97, 3. 106, 3. 112, 2.

hist. I 48, 22.

Eandem libertatem indicativi in orationis obliquae sententiis scribendi ac licentiam Trogus sibi assumpsit, ut ex capp. 4, 3; 9: quod . . . terruit; qui . . . incolunt; qui . . . occupaverant; 10. 5, 3: cum . . . ademerant, quam concesserant; 6; 7; 8; 9. 6, 3: fuere transiecti; domuerant; 4. 7, 2; 9 manifestum fit, quae res mihi ad Sallustii imitationem spectare videtur.

---

[1]) cf. Ramshorn lat. Grtk.[2] § 186. D II 2 p. 795.
Madvig lat. Sprachlehre[3] § 369 p. 335.
Draeger l. l. II p. 416 sqq.
Dietsch. in ed. Sall. Crispi Cat. et Iug. Lips. ad Iug. 38, 9.

[2]) cf. eiusdem commentationum edit. mai. praescriptarum cap. IV p. 46—50.

Subiecti accusativos, quae sunt pronomina, in structura acc. cum inf., si ex antecedentibus verbis excusationem habent, ab omnibus omnium aetatum scriptoribus supplendos relinqui quis est qui nondum didicerit? Cuius subiecti ellipsis exempla, cum ex Cicerone raro depromantur, apud eos, qui consequuntur, multa colligas. Sallustius autem crebro et liberius omittendi initium duxit, quod Cat. 31, 7. 40, 3. 53, 3. 56, 5. Iug. 64, 5. 76, 1. 88, 5. 102, 2. 107, 4. 109, 1; 3. (14, 3 ‚posse' et 114, 2 ‚certare' Dietschius ex auctoritate cod. Parisin. n. 1576 in ‚possem' et ‚certari' mutans expunxit) hist. IV 61, 10; 17 [bis]; 22 satis illustrant, quibus acquiescas velim. Pronominum, quae apud praeeuntem absunt, numerum Livius quidem multo etiam exsuperat, nihilominus tamen in eam, quam hucusque protuli, sententiam nonne inclinabis, ut Sallustio auctori subiecti apud Trogum omissiones quoque imputemus? Sunt enim c. 4, 6; 7. 5, 5; 7, 10 (se). 5, 9 (eum). 4, 16. 7, 6 (eos).

Restat, ut nunc ad aliud e Sallustii studio brevitatis ortum proficiscar, in quo aeque Trogum fuisse imitatorem nobis statuendum erit. Verbi ‚esse' formas omissas dico, quae pro copulis usurpatae esse debebant, quae quoties sint audiendae e Dietschii commentariis ad Iug. 10, 2 p. 80 sqq.[1]) (ed. Cat. et Iug. min.) dilucide apparet, quo animum advertisse sufficiat. Nam quamvis redundent numeris, inchoata tantummodo et manca sunt iudicanda, quia Catilinam Iugurthamque modo respiciunt, nulla historiarum ratione habita[2]), et in notas numerorum locorum laudatorum errata subrepserunt, cum emendate non sint descriptae. Quod si Trogi, quem in grammaticis rebus et in verborum usu multa ascivisse e Sallustio non intermisimus cognoscere, c. 4, 3. 6, 6 (est). 4, 4; 5; 6; 7; 8 [bis]; 11; 12 [bis]; 16. 5, 1; 2; 5; 6 [bis]; 8; 9; 10. 6, 1; 2; 4 [bis]; 8. 7, 2; 3; 4; 6 spectamus atque contemplamur, quin item ex illo fluxerint meo quidem iudicio dubitari nequit.

De supino a verbis movendi pendente exposui p. 29, cui addere liceat quae praeter laudatum extant exempla: non expugnatum, sed possessum eant 7, 7.

Cavendum est, ne, ubicunque aliquid invenimus, quod Sallustio cum antiquiorum rerum scriptorum more dicendi commune

---

[1]) cf. eiusdem commentationum edit. mai. praescriptarum cap. IV p. 46—50.

[2]) Annoto Iug. 88, 6. 113, 1, ubi ‚sit' omissum est, et ex historiis I 23. 41, 7. II 23, 2 (est). I 23. 41, 7; 13. 48, 8. II 96, 1. IV 61, 20 (sunt). I 48, 14; 17 (sint). IV 61, 2 (essent). I 41, 19; 23; 24. 48, 11; 14; 17; 19. 67. II 96, 4. III 61, 14; 26. 67 col. IV p. 87. IV 61, 3; 13; 17 (esse).

est vel etiam apud comicos veteres et alios priscos auctores reperitur, Trogum hos, non illum imitatum esse nobis persuadeamus. Scriptorem nostrum summo amore antiquitatem amplexum priscae orationis vestigiis multis in rebus institisse coloremque in usum suum convertisse interpretes atque editores confirmant. Sed quae est causa, quod in eandem Trogi sermonem, cum ad ista est accommodatus, revocemus, cuius cum Sallustio compluribus aliis in rationibus concordiam vix abnuere atque refellere possis?

In oratione igitur, a qua quaestionis instituendae primordium duximus, etiamsi aliena inserta esse non immerito putetur, plerumque tamen, si vera sunt quae conieci, Trogum in rebus grammaticis, in vocabulorum usu, in sententiis repetitis ad fontem Sallustianum rediisse distincte elucebit, qui hic vel illic animadversionibus modo Trogi ipsius genuinis, non aliunde sumptis permixtus est.

His absolutis aliam nunc viam ad imitationem comprobandam ingressurus sum, qua in refutandis ac diluendis sententiis a viris doctis iam allatis versari ero coactus. Quas, cum iam primo aspectu nos sane quam offendant totamque, quam institui, disputationem in incertum possint revocare, ut penitus expediamus non pauca addenda sunt.

Tota enim Iustini parte, quae libros inde a XXXVI usque ad XLII comprehendit, Trogum Posidonium sibi ducem elegisse Heereno[1]) persuasum est et eundem auctorem ante oculos habuisse Carol. Muellerus[2]) ex Iustino colligit, quod Nicolaus[3]) probat.

Multa autem quominus his viris eruditissimis assentiar obstant. Negare quidem nolo Posidonium in *ἱστορίᾳ τῇ μετὰ Πολύβιον* Mithridatis initia incrementaque descripsisse et origines regni Pontici, quae libris XXXVII et XXXVIII a Trogo exposita esse ex prologis patet quorumque aliquantum ibi apud Iustinum adhuc legimus. Nam primum bellum Mithridaticum attingit cum Athenaei locus (VI p. 266 E — frag. 39 ed. Muell.) de Chiis subiugatis a rege vinctisque in terram Colchorum deportatis, tum gravissimum quod extat Posidonii fragmentum (apud Athen. V p. 211 D = frgm. 41 ed. Muell.), ubi de Athenione[4]) crudelissimo philosopho agitur, qui tyrannide occupata Atheniensium animos ad rerum novarum spem erexit, ut a Mithridate laetissima exspectarent, eosque acerbe cruciavit. Atque de his Posidonius, utpote qui, ex itineribus multis reversus cum Rhodi civitatis, quae Romanorum in fide remanserat, civis esse non de-

---

[1]) l. l. § 25 p. XCI.
[2]) cf. fragmenta historicorum Graecorum Parisiis 1849 vol. III p. 252b.
[3]) Griechische Literaturgeschichte vol. II p. 182. 2 Aufl.
[4]) sive Aristione. cf. Franc. Henr. Ludolf. Ahrens de Athenarum statu politico et litterario Gotting. 1829 p. 4.

sineret, ad summos pervenisset honores, locupletissimus auctor fuisse nonne potuit? Historiarum opus Posidonii 82 annorum spatium nempe ab a. 146 usque ad a. 63 complexum esse probabile arbitratur Heerenus (l. l. et de fontib. Plut. p. 142); Muellerus ad annum 96 historias descendisse contendens alteram fuisse partem nova librorum serie distinctam ex fragm. 40 et 41 statuit. Toepelmannus[1]) denique ad annum 67 deductas esse historias Posidonii sibi persuasit. Quibus omnibus Ricardus Scheppig[2]) adversarius exstitit hisce verbis: ‚annus u. 668 (86) Mario fatalis certe gravissimus fuit nec non aptus ad finem historiis imponendum'; nullum enim eorum quae aetatem tulerunt fragmentum illum annum excedit. Quam opinionem p. 27—31 professus fuse stabilivit, ut pro vera certe accipienda sit. Eius testimoniis nisus auctoritateque fretus pro fundamento et meae quaestionis ponam neque omnis poni posse nego. Quodsi vero terminum historiarum ad a. 86 perductum recte nos docuit Scheppigius, ad Heereni sententiam Trogum ex Posidonio sua hausisse censentis non possumus non accedere, quia Mithridatis celebrem ad exercitum orationem ex Trogo integram exhibitam, cum ad annos 88 vel 87 pertineat, e Posidonii opere petitam esse non sine probabilitatis specie dixeris. At haec quamquam ita se habent, ne tale quid sumamus multis impedimur causis, praesertim cum graviter corruerent, quae supra statui ostendique. Haec inter se maxime contraria ut iuxta componantur et conveniant, quomodo efficere poteris? Quod fieri nego epistulae Sallustianae rationem reddens, quo familiaritatis vinculo, quam arta necessitudine cum oratione contineatur, satis multis exemplis postquam supra cognovimus. In tali, quem ad oculos demonstravi, inter Sallustium et Trogum consensu non tam locutionum quam sententiarum nexus hos scriptores inter sese quasi cognatione esse coniunctos magis inclinor ut contendam, quam ut e Posidonio, quem Trogo ad manum fuerit necne Heereno solo opinante ignoramus, orationem adumbratam esse et fluxisse credam. Iam vero, cum ita res sit, fortasse tibi videaris non sine causa suspicari etiam Sallustium suam epistulam ex Posidonio composuisse[3]), e qua deinde Trogus orationem desumpserit. Sed ne quis hoc in campum educat, quippe cum in Sallustii narrationibus historiarumque reliquiis nulla Posidonii eiusque operis fiat mentio et illum hunc convertisse in usum suum ne putemus Linkerus repugnat in commentatione praestantissima

---

[1]) Paulus Toepelmann de Posidonio Rhodio rerum scriptore Bonnae 1867.

[2]) diss. de Posidonio Apamensi rerum, gentium, terrarum scriptore Halis Saxon. 1869.

[3]) In numero auctorum historiarum Posidonium retulit Th. Vogel l. l. p. 17 et Gerlachius in edit.

de Sallustii historiarum prooemio[1]), quocum plane facio sic indicante p. 19 annot.: materiam 'praebere Sallustio poterat, satis facere pro tota ipsius de publicis partibus sentiendi ratione haud facile poterat. Pompeii enim amici res prae ceteris eum extulisse consentaneum est, cum uti Sullae ita pedissequo eius Pompeio maxume Sallustium infensum fuisse et ex tota vitae eius ratione appareat et satis superque ex historiarum fragmentis eluceat[2]). Adde quod ab a. 78 initium[3]) sibi scribendi elegit Sallustius satis quidem amplo prooemio tantummodo, priusquam ad ipsas ‚res populi Romani M. Lepido, Q. Catulo consulibus (a. 78) ac deinde militiae et domi gestas' [frgt. 1] accederet, exposito, quomodo factum sit, ut ad eam potissimum condicionem res publica adduci potuerit, qualis illo anno obtinebat. Quod sufficere quodammodo arbitror ad certum ac firmum de Sallustii opere Posidonio non annexo ferendum. In errorem igitur magnum incidit, cui Posidonium adiisse videtur Sallustius.

Sed redeat, a quo digressa est, ad eruendam, quae inter Posidonium et Pompeium Trogum extat, rationem disputatio nostra. Ex iis, quae equidem hactenus proposui, licet sane opinari, quod non concedere nolo, Trogum Posidonio auctore usum esse, qua de re eodem modo Heerenus et Rzesinski[4]) iudicant. At vero iniuria! Iam Scheppigius p. 35 Heerenum non mediocriter falli affirmavit, quod concentus singulos, quippe qui ad res neque ad rationem pertineant, nihil probare patet, cui accedit, quod aliae res repugnant, in quibus exponendis Iustinus vel a Posidoni ratione (compares Iust. XLII 2, 10. 3, 8 cum Posid. fragm. 85 = Strab. I p. 41!

Armenia . . . condita est autem ab Armenio, Iasonis Thessali comite.	Ἄριστα δ' ἂν δόξειεν εἰπεῖν ὁ Ποσειδώνιος — Τὸ γὰρ τῶν Ἀρμενίων ἔθνος καὶ τὸ τῶν Σύρων καὶ Ἀράβων πολλὴν ὁμοφυλίαν ἐμφαίνει κατά τε τὴν διάλεκτον καὶ τοὺς βίους καὶ τοὺς τῶν σωμάτων χαρακτῆρας κτλ.)

vel a Diodori Siculi memoria recedit, cuius auctorem, cum unum modo per singulas historiarum partes sequi eum solitum esse

[1]) Marburgi Cattorum 1850.
[2]) cf. Linker p. 15 ann. 1.
[3]) cf. Kritzii epistul. critic. ad Ernest. Wuestemannum p. XV sqq. in edit. Sall. hist. fragm. Lips. 1853.
[4]) Rzesinski de Iustino Trogi epistomatore Krakau 1826. p. 8.

satis constet[1]), in eo, quem respicio, libro Posidonium fuisse quominus statuamus nihil impedit; velut

Iust. XLIV 2, 7	Diodor. l. XXXIII frgt. p. 93 ed. Bipont.
qui annis decem Romanos varia victoria fatigavit.	ἕνδεκα γὰρ ἔτη δυναστεύοντος αὐτοῦ (sc. Οὐριάτθου) Λυσιτανῶν — αἱ δυνάμεις διέμειναν — σχεδὸν ἀνίκητοι.

Ut ipse anquiram num exploratae sint causae, quibus, ut ita asseveraret, commotus sit Heerenus, nonnulla quidem illa sententia habet, quae nobis probanda sint, plurimis tamen in rebus a viro illo sagacissimo discrepemus necesse erit.

Ubinam sunt enim et quaenam argumenta, quibus nititur? Eorum, si quaesiveris, pauca modo vel, ut dicam quod sentio, nulla tibi apparebunt; Heerenus quod nisi in latis coniecturis non acquiescat non modo dolendum est, sed etiam tantum abest, ut verbis quamvis brevissimis verisimilitudinem significare conetur, ut opiniones opinionibus cumulet non dubitans, quin omnia, quae iactat, vera sint, quapropter eo de se praedicationis atque persuasionis procedat, ut, si contra auctoritatem eius disputantes aliud quid censere audebimus, vix arrogantiae speciem effugiamus. Quid ita? Quia nemo ignorat in historia antiqua paululum versatus, constat, clarum est, facile concedent omnes, dubium prorsus esse nequit, satis patet (vid. II § 25) etc., quod posuit vir illustrissimus. Cuius in verba utique nos iurare numquid putas oportere? Immo vero exempla docent et testimonia. Comparanti igitur cum Iustino Posidonii fragmenta occurrunt alia et ea quidem longe plurima, in quibus mirum in modum differant, alia perpauca, in quibus consentire videantur, unde non facile me adduci patior, ut conspirare eos credam. Sunt autem haec, quae afferri possunt.

Iust. XXXVI prol.; cap. 2—3 de Iudaeis longe alio modo agit atque Posidon. fragm. 14.

Iust. XXXVII 3, 2:	ex fragm. 34a.
Itaque Scythas invictos antea, qui . . . , ingenti felicitate perdomuit. cf. XXXVIII 7, 3—5; 9.	ἅμα πρός τε τοὺς Σκύθας ἐπολέμει . . . .

[1]) cf. Heyne de fontibus et auctoribus historiarum Diodori comm. p. LXXXIX ed. Bipont. vol. I.
Nissen Kritische Untersuchungen über die Quellen des Livius in der 4. und 5. Dekade p. 112.
Mueller historic. Graec. fragm. III 6 fin. et al.

XXXVIII 7, 10: propter munificentiam adquisita possideat Bosporum.

καὶ Βοσπόρου κατέστη κύριος παρ' ἑκόντος λαβὼν Παρισάδου τοῦ κατέχοντος. Ἐξ ἐκείνου δὴ τοῦ χρόνου τοῖς τοῦ Βοσπόρου δυνάσταις ἡ τῶν Χερρονησιτῶν πόλις ὑπήκοος μέχρι νῦν ἐστι.

XXXVII 3, 3:

Auctus igitur viribus Pontum quoque ac deinceps Cappadociam occupavit.

XXXVIII 2, 3: ne Mithridates accessione Cappadociae etiam Bithyniam finitimam invaderet . . .

— ib. 3, 4: Nicomedes regno a Mithridate pellitur.

ex fragm. 41.

Βασιλεὺς Μιθριδάτης κρατεῖ μὲν Βιθυνίας καὶ τῆς ἄνω Καππαδοκίας, κρατεῖ δὲ τῆς συνεχῶς Ἀσίας ἁπάσης ἄχρι Παμφυλίας καὶ Κιλικίας.

XXXVIII 8, 8:

Quibus confluentibus obvius legatis Romanorum, Scipioni Africano et Spurio Mummio et L. Metello, qui ad aspicienda sociorum regna veniebant, procedit sc. Ptolmaeus.

fragm. 13 = Plut. Moral. p. 777 A.

Καὶ Σκιπίων μετεπέμψατο Παναίτιον, ὅτε αὐτὸν ἡ σύγκλητος ἐξέπεμψεν

Ἀνθρώπων ὕβριν τε καὶ εὐνομίην ἐφορῶντα

ὥς φησι Ποσειδώνιος.

Quae quod ex Posidonio fluxisse Muellerus ad h. l. putat valde miror, cum non tam tenuissimus sit consensus quam locum apud eundem Plutarchum (moral. p. 200 E.) servatum apposuerit: *ἐκπεμφθέντα δ' αὐτὸν ὑπὸ τῆς βουλῆς τρίτον, ὥς φησι Κλειτόμαχος*

Ἀνθρώπων πόλεών τε καί εὐνομίην ἐφορῶντα,

unde an recte non largitus sit dubitari potest. Si enim istum versum Clitomachi esse et suppresso nomine priore loco a Posidonio laudari dicit reiiciens Lyndeni[1]) pro *Κλειτόμαχος Ποσειδώνιος* probante Bakio[2]) reponentis correctionem nonne e Clitomacho ipso Trogum derivasse versum accipere malis, quocum solo Iustini verba similitudinem monstrant. Quoniam vero totum locum Clitomacho cur abiudicemus causa non videtur[3]) atque

---

[1]) de Panaetio Rhodio Stoico philosopho Lugd. Batav. 1802 p. 43—45.
[2]) Posidonii Rhodii reliquiae doctrinae Lugd. Batav. 1810. p. 154—156.
[3]) Scheppig l. l. p. 33.

etiam Homeri (Odyss. 17, 487) versus est, eo magis species Posidonii a Trogo exhausti evanescet. Fortasse ut interdum e memoria versum expositioni addidit, cuius complura exempla collegit Geschwandtnerus[1]).

XXXVIII 8, 9:

erat enim et vultu deformis et statura brevis et sagina ventris non homini, sed beluae similis. Quam foeditatem nimia subtilitas perlucidae vestis augebat.

fragm. 11.

διὰ δὲ τρυφὴν διέφθαρτο τὸ σῶμα ὑπὸ παχύτητος καὶ γαστρὸς μεγέθους, ἣν δυσπερίληπτον εἶναι συνέβαινεν· ἐφ' ἧς χιτωνίσκον ἐνδεδυκὼς ποδήρη μέχρι τῶν καρπῶν χειρῖδας ἔχοντα . . .

inter se cohaerere tune putare potes?

ib. 10, 1:

Antiochus — exercitum — adversus Parthos ducit. Sed per luxuriam non minor apparatus quam militiae fuit, quippe . . . secuta sunt trecenta lixarum, ex quibus coquorum pistorumque maior numerus fuit etc.

fragm. 17.

περὶ — Ἀντιόχου λέγων, τοῦ ἐπ' Ἀρσάκην εἰς Μηδίαν στρατεύσαντος, φησίν, ὅτι ὑποδοχὰς ἐποιεῖτο καθ' ἡμέραν ὀχλικάς· ἐν αἷς χωρὶς τῶν ἀναλισκομένων καὶ ἐκφαντιζομένων σωρευμάτων ἕκαστος ἀπέφερε κτλ.

Quae cur Muellerus putet e Posidonio sua hausisse Trogum equidem non intellego.

XXXIX prol.:

Ut in Syria Heracleo post mortem regis occuparit imperium.

fragm. 36.

Ἱστορῶν δὲ καὶ περὶ Ἡρακλέωνος τοῦ Βεροιαίου, ὃς ὑπὸ τοῦ Γρύπου καλουμένου Ἀντιόχου τοῦ βασιλέως προαχθεὶς μικροῦ δεῖν τῆς βασιλείας ἐξέβαλε τὸν εὐεργέτην.

Heracleo nisi hic apud Iustinum non commemoratur, ex quo colligi nequit, num inter eum et Graecum intercedat consensio.

ib. prol.:

suffecto Alexandro, donec occisa per Alexandrum matre.

ib. 4, 4—5:

Cleopatra . . . Alexandrum fi-

fragm. 37.

. . . ὁ υἱὸς αὐτοῦ Ἀλέξανδρος ὁ τὴν ἑαυτοῦ μητέρα ἀποκτείνας συμβασιλεύουσαν

[1]) Quibus fontibus Trogus Pompeius in rebus successorum Alexandri M. enarrandis usus sit. diss. Halis Saxon. 1878 p. 30.

lium per legatos in regnum revocat; cui cum occultatis insidiis exitium machinaretur, occupata ab eodem interficitur.

αὐτῷ. Φησὶ γοῦν περὶ αὐτοῦ Ποσειδώνιος fabellam quandam.

Leviores sunt ansae, quam ut similitudinem reconditam tenere possimus.

Non legimus in Parthorum copiosa descriptione morum XLI 1—3, quae continetur frgt. 8.

De frgto. 19: *περὶ Σελεύκου διηγούμενος τοῦ βασιλέως, ὡς εἰς Μηδίαν ἀνελθὼν καὶ πολεμῶν Ἀρσάκει ᾐχμαλωτίσθη ὑπὸ τοῦ βαρβάρου* non liquet, num recte Seleucus dicatur, quippe quem expeditione in Mediam suscepta adversus Arsacen captum esse non noverimus ex Iust. XLI 4, 9: Arsaces . . . cum Seleuco rege . . . congressus victor fuit.

XLII prol.:

Ut praefectus Parthis a Phraate (Himerus) . . . in Babylonios et Seleucenos saeviit.

ib. 1, 3:

Phraates . . . ad tutelam regni relinquit Himerum quendam pueritiae sibi flore conciliatum, qui tyrannica crudelitate oblitus et vitae praeteritae et vicarii officii Babylonios multasque alias civitates inportune vexavit.

fragm. 21.

Λυσίμαχόν φησι τὸν Βαβυλώνιον, καλέσαντα ἐπὶ δεῖπνον Ἵμερον τὸν τυραννήσαντα οὐ μόνον Βαβυλωνίων, ἀλλὰ καὶ Σελευκέων κτλ.

nequaquam consensum denuntiant.

XLIV 1, 5; 6:

. . . equorum pernices greges; sed nec summae tantum terrae laudanda bona, verum et abstrusorum metallorum felices divitiae.

fragm. 48.

(de metallorum in Turditania copia) *Καθόλου δ᾽ ἂν εἶπε, φησὶν, ἰδών τις τοὺς τόπους, θησαυροὺς εἶναι φύσεως ἀενάους ἢ ταμιεῖον ἡγεμονίας ἀνέκλειστον· οὐ γὰρ πλουσία μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπόπλουτος ἦν, φησὶν, ἡ χώρα κτλ.*

ib. 3, 1:

ex equarum fecunditate et gregum multitudine . . . ; qui tanti in Gallaecia ac Lusitania et tam pernices visuntur,

fragm. 51.

Ἴδιον δ᾽ εἴρηκεν ἐν Ἰβηρίᾳ ὁ Ποσειδώνιος καὶ τὸ τοὺς ἵππους τῶν Κελτιβήρων ὑποφάρους ὄντας . . . καὶ

ut non immerito vento ipso concepti videantur.

γὰρ ταχεῖς εἶναι καὶ εὐδρόμους μᾶλλον τῶν ἄλλων.

ib. 3, 7:

feminae (sc. Gallaeciae) res domesticas agrorumque culturas administrant, ipsi armis et rapinis serviunt.

fragm. 53.

Γεωργοῦσιν αὗται (sc. mulieres Iberorum) *τεκοῦσαί τε καὶ διακονοῦσι τοῖς ἀνδράσιν, ἐκείνους ἀνθ' ἑαυτῶν κατακλίνασαι. ἔν τε τοῖς ἔργοις πολλάκις τίκτουσι καὶ λούουσι κτλ.*

ib. 3, 9:

nec ullum apud eos telum probatur, quod non Bilbili fluvio aut chalybe tinguatur. Unde etiam chalybes fluvii huius finitimi appellati.

fragm. 58.

Ὅτι ὁ Περσῶν βασιλεὺς τὸν Χαλυβώνιον μόνον οἶνον ἔπινεν.

Quod si respexeris, Iustinus et Posidonius inter se conveniunt quam minime. Non eget ultra argumentis res, quae oculis cernitur.

His igitur perpensis utriusque verbis collatis, satis sequitur illud, quaedam ab utroque in universum similiter quidem, in singulis tamen plane diverse esse descripta, quare, quia, exceptis quae supra attuli, fragmentorum reliquorum multitudo collatione Iustini historiarum ultro consumitur, ne Posidonium Trogi fontem esse cum Heereno et Muellero existimemus vetamur. Illi, opinor, de hac re si ita, ut ea qua par est diligentia atque subtilitate recensendis et perscrutandis veteribus scriptoribus operam navaverunt, indagassent, aliter fuissent iudicaturi. Non enim, ubiubi cum altero in aliqua re scriptor convenit, alterum esse auctorem affirmandi potestatem habemus; nam res gestae, de quibus historici tradunt, non eorum sunt propriae, sed omnium communes, quo fit, ut ratio tantum communis ad illam quaestionem diiudicandam aliquid valere possit[1]. Quae profecto prorsus abest.

Si cui quae censui etiamnum inaudita videantur, eum monitum velim in Iustini l. XXXVI—XLIV multa insuper inesse, quae Heereni sententiae refragari facile omnes concedent. Anno enim 86 Posidonii historias aptissime terminari satis in aprico est. Quae ubi ita se habere ratiocinatione mihi persuasi, ecquid traditum supersit apud Iustinum, ad illustrandam meam sententiam quaesivi. Atqui, ut nonnulla depromam, quae legimus:

[1]) vid. Scheppig p. 34.

l. XXXIX 5, 9: Creta Ciliciaque piratico bello perdomitae in formam provinciae rediguntur. Quo facto et Syriae et Aegypti regna Romana vicinitate artata, quae incrementa de finitimis bellis quaerere solebant, adempto vagandi arbitrio vires suas in perniciem mutuam converterunt ...

l. XL 1, 1 sqq.: populus Syriae peregrinos reges sibi circumspicere coepit . . . quod rex Mithridates implicitus bello Romano esset . . . omnes in Tigranem regem Armeniae consensere . . . Igitur accitus in regnum Syriae per X et IV annos tranquillissimo regno potitus est.

XL 2, 2 squ.: Tigrane a Lucullo victo rex Syriae Antiochus, Cyziceni filius, ab eodem Lucullo appellatur. Sed quod Lucullus dederat, postea ademit Pompeius.

— ib. 2, 5: Atque ita Syriam in provinciae formam redegit, paulatimque oriens Romanorum discordia consanguineorum regum factus est

et alia ultra annum illum longe progressa sunt. Quas res suo aevo gestas potuitne ‚facile subiungere'[1]) Trogus operi, quippe qui neque rerum ac temporum ordinem, quemcunque in fonte suo invenerat, permutaverit neque sua sponte libros suos locupletaverit accessionibus?

Quibus omnibus de causis nos quidem ex Iustino colligimus, Posidonii historiis Trogum usum non esse. Idem nobis statuendum erit de libris eius *περὶ Ὠκεανοῦ*, in quibus mathematica potissimum et physica adhibita ratione geographiam fuisse expositam Strabo (II p. 94. VIII p. 332) profitetur. Quos ubi Trogus adhibuisse potuit, in describendo terrae motu, qui Syriam vastavit, fusius egit quam ut excerpsisse videatur (cf. XL 2, 1 — Posid. fr. 76). In hoc geographico opere quamquam quin res ad historiam spectantes intexuerit sibi temperare non potuit, tamen non invenies, quae apud Iustinum certo auctore carent, cum multo ante historias conscriptum[2]) non modo coartatas et peranguste refertas res historicas contineat, quas in historiis ipsis latius divulgatas non potuit non retractare, verum etiam quae posterioribus annis facta sunt omnino non complectatur. Forte cui denique id est offensioni, quod a multis et doctis viris aut in medio relinquitur, utrum Posidonius praeter historias libros ad historiam pertinentes composuerit necne, aut illud vel probatur. Sed cuius nusquam fit memtio neque vestigium reperitur, de eo[3]) non est cogitandum, unde pendeat Trogus. Itaque licet equidem mea explicatione non impulsor fuerim atque persuasor, ut Posi-

[1]) Heeren § 26 fin.
[2]) quod satis defendit Scheppigius p. 18 et 20, quocum prorsus facio.
[3]) cf. Scheppig p. 38 squ.

donii studiosum Trogum fuisse deneges, id saltem ut explanaverim fore confido, ne ulla quidem certa causa Heereni et qui sequuntur sententiam fulciri ac sustineri potuisse.

His disputatis de virorum egregiorum mihi contrariis opinionibus ad verum Trogi fontem perscrutandum sive iam indagatum amplius explicandum, unde digressus sum, redeo. Sallustio in Mithridatis oratione conficienda Trogum non usum modo esse sed transscripsisse ferme — ita paene ad verbum multa sibi respondent — rectene coargui? Sed aliis locis quod ad rem attinet non multum narrandi argumentum e Sallustio eum sustulisse animo prompto proclivique confiteor, cum narratorum ratio atque ordo ab utroque institutus fere undique varientur. In rebus vero Mithridaticis Trogum Sallustii historias ante oculos habuisse nobis tenendum est; quem pleniorem et longiorem fontem praeterea sit secutus, cum ambigatur, discernere longum est. Trogus enim unum fontem retractare aspernabatur, duos consulere malebat; quos cum in unum corpus confundere non posset, alternatim exscribebat, qui auctorum adhibendorum modus satis confirmatur[1]).

Ad illam nostri iudicii summam, ut certa decernatur, hae quoque ducunt reputationes.

Potest, ut epistulae et orationis caput, quod unum est, aut fuerit in fontibus Sallustio Trogoque superioribus aut ab altero sit confictum et commenticium.

Ac primum quidem, cur duplex sit et ultro tam multis locis dissonum quam impositum in tempora longe inter se distantia, ut enotemus, alter ad ipsam veritatem esse locutus vel certe proxime vero abfuisse, alter forma mutata argumentum accommodasse suis, quae tradit, temporibus et locis existimandus est. Hoc de Sallustio, de Trogo illud quominus sumamus abstrahimur. Nihil enim esse, quod Sallustius transtulerit, nemo non videbit, quippe qui orationes rhetoricis ornamentis plus aequo, et magis quam adhuc concessum sit a plerisque, praesertim ad cognoscenda tempora moresque hominum aptas libris suis inseruerit, ubicunque occasio oblata est. Minime vero sermonem dignum cui credatur, si ex temporibus belli primi in Mithridatem inchoati ab idoneis fuisset vulgatus scriptoribus, silentio dissimulasset, quo in natura et vita regis describenda eius ingenium indolesque praecipue depingi potuerat. Atque de Mithridatis genere et maioribus, tum quibus moribus fuerit, exposuisse Sallustium ex eius fragmentis II 44 sqq. patet. Quamquam, cum ad res post annum 78 gestas accesserit,

---

[1]) cf. Fricke Untersuchungen über die Quellen des Plutarch im Nicias und Alcibiades Leipzig 1869. pp. VI. 18. 60. 73. 95.
Haake de Duride Samio Diodori auctore Bonn. 1874. p. 33.
Geschwandtner p. 6 sqq.

propterea tertium solum bellum Mithridaticum retulerit, cum eius initiis simul mores regis ac prioris vitae facta non adumbrare non potuit. Cui loco orationem, quae bellaturi regis postulata maxime quidem utilia fore illis, a quibus societatem auxiliumque petant, sin minus, saltem non perniciosa demonstret — ea enim est communis Trogi orationis Sallustiique epistulae ratio — annecti opus fuit et certe, si qua fuisset allata, admiscuisset et Sallustius.

Sed ne nimium contendisse videar, porro alia argumenta distincte propono. Illa enim epistulae et orationis summa, quam apud utrumque scriptorem legimus, num communi ex fonte desumpta sit, perquirenti mihi, ut in lucem protrahatur, omnes, quibus uti potuerint, historiae auctores in mentem venerunt. Sed frustra eos adii. Etsi in omnes tanta fati invidia saeviebat temporis iniquitas, ut multorum praeter nomen nonnisi fragmenta nobis relinqueret, non paucorum ne haec quidem nos pateretur resciscere, tamen ex iis hausisse nostros ut putemus non commovebimur. Scriptores qui talia narrare potuerant, qualia nostri, cum enumerare longum est tum iam melius apud Linkerum (p. 16), Iordanum[1]) (p. 6 sqq.), Nicolaum (II p. 187 sqq.), Peterum[2]), Muellerum, Teuffelium legas. Dubitationi tibi fortasse subortae et facillime et certissime respondebimus, si persuasum tibi fuerit mecum consideranti, primum de quibusdam[3]) illorum nos ignorare, quousque scribendo reliquiis ex solis primis libris excerptis pervenerint, neque id posse coniici, deinde de aliis, quomodo res Mithridaticas fragmentis ne tenuibus quidem et nuntiis nobis servatis tractaverint, tum de aliis, quae tempora narrando sint amplexi, nobis non tradi; nonnullos postremo ex eorum scriptorum grege fuisse, qui Sullae et Pompeii res in eorum honorum magno

---

[1]) de fontibus Appiani in belli Mithridaticis enarrandis Gottingae 1872.

[2]) Hermannus Peter veterum historicorum Romanorum reliquiae Lipsiae 1870.

[3]) Unum Sisennam praedico, qui opus belli civilis Sullanique (ita Vell. II 9, 5) edidit, quod aut bellum sociale et Sullae civile aut hoc et id, quod contra Mithridatem in Graecia Asiaque Sulla gesserit, num intellegamus non satis constat In quo argumentum epistulae nostrae extitisse tibi probanti (nam frgt. 128 Pet.: ‚Romanos inferendae pernicii causa venisse' verba esse Mithridatis aut unius ex eius ducibus coniecit Riese *) p. 63 ann. 2) ocurro: At vana haec Riesii opinio videtur esse. Accedit quod Sisennae fides abroganda est, cum etiam in historia obnoxius sit nobilitati, Sallustio infensae, atque principi gentis Corneliae, quarum ex numero et ipse fuerit neque a partibus discesserit. Adde quomodo Kritzius in praefat. ad Sall. fragm. p. XVII refutaverit Gerlachii opinionem ed mai. Sall.**) vol. III p. 48 ex diverso propositam.

---

*) Ueber das Geschichtswerk des L. Cornelius Sisenna. Festschrift zur Begrüssung der 24. Philologen-Versammlung zu Heidelberg. Leipzig 1865.

**) Basileae 1827—1835.

cum studio retulerant, quamobrem eorum opera nullius omnino pretii ratos neque Sallustium neque Trogum adhibuisse verisimile est, et, quod eorum memoria paene tota deperiit, haud ita dolendum esse videatur. Est igitur nihil neque causae neque certi, quo quis sententiam meam impugnare possit; et missam faciamus hanc quaestionem, cum, quod offendere possit, desierit.

Ne vero quisquam mihi obiiciat, Sallustium, utpote qui, quae in aetatem ipsam incidebant, prodiderit, acta fortasse diurna populi in suum transtulisse opus historicum ex iisque epistulam Mithridatis sumpsisse, eum monitum velim, perversam esse et pravam talem opinionem. Nam Caesar primus a. 59 acta populi instituit (cf. Suet. Caes. 20), quibus, ut Lipsii[1]) utar verbis, continebantur res rationesque populi, iudicia publica, supplicia, comitia, nativitates, aedificia, illustres mortes, matrimonia, divortia. Ante acta inveniuntur quidem, ad quorum similitudinem ea perscribi coepta esse verisimile est. Dudum enim eam Romae consuetudinem fuisse necesse est, ut magistratus, qui procul ab urbe sive bella gererent sive provincias regerent, ab amicis Romae degentibus, quaecunque ibi scitu digniora publice privatimque agerentur, per litteras communicata acciperent[2]). Autumas ex iis Sallustium epistulae suae argumentum petiisse.

Quibus late expositis alterum, quod restat, aggressurus sum, ne lectoris patientia diutius abutar. Ex ratiocinatione nostra magna cum probabilitate colligere fas est, ad verba Mithridatis ipsa scriptores nostros epistulam et orationem non expressisse. Quod ut credamus gravioribus adducimur causis. Trogi in manus orationem ipsam venisse tibi num persuadere poteris? Illa enim aetate, qua orationes habitae auditione tantummodo accipiebantur neque ab auctoribus verbis iisdem, quibus locuti erant neque ab auditoribus reddi solebant? Mecum sentiunt Ruehlius[3]) vir ille illustrissimus: die Rede ist ein Prunk- und Meisterstück seines Werkes et Drumannus[4]) p. 440. Atque orationem, si attentis oculis perlustramus, multa exhibere vitia contra historiae fidem, quis est qui neget? Mithridates enim postquam Aquilio et Maltino devicto (a. 89) civitatibus debita remisit vacationemque quinquennii concessit (a. 88), tunc milites ad contionem convocasse eosque exhortatus in Romana bella descendisse dicitur. Quod sive belli exorsus, ut ait Trogus, in a. 87 cadit, quo ineunte Sulla im-

---

[1]) in excurs. ad Tac. ann. V 4.

[2]) cf. Teuffel Röm. Litgesch.^{3} p. 430.
Huebner in Jahn. annal. phil. suppl. III p. 594.

[3]) ‚die Textesquellen des Iustinus‘ in Iahn's Iahrbb. f. Philol. Supplbd. VI p. 109.

[4]) Geschichte Roms Königsberg 1835 vol. II.

perator bello gerendo creatus est, quamquam Mithridates iam a. 88 primo vere ultro bellum Romanorum ducibus intulit[1]. Ille autem annus neutiquam cum aliis a Trogo nobiscum communicatis concinit. Nam bello Marsico, in quo hoc ipso tempore universam Italiam consurrexisse non tam libertatem, sed consortium imperii civitatisque poscentem rex affirmat, lege Plautia principio a. 89 prope composito paulo post seditio conticuit. Magnus est porro error Mithridatis simul Cimbros inundasse Italiam censentis, quos, cum varios exercitus Romanorum fudissent, a. Mario a. 101 caesos esse ac paene deletos inter omnes constat. Et Italiam more procellae inundaverunt? Mithridates, si illorum trium bellorum, ‚etsi singula sustinere Romani possent, universis tamen obrui' protulisset, arrogantissime esset ementitus. Tribus superavit proeliis Pyrrhus Romanos? Multa igitur rei exaggerendae causa admixta videmus. A Mithridate?[2] Deinde additi tres et viginti anni (XXXVIII 8, 1) anno 87 efficiunt annum 110, quem primum esse sumpti regni nobis inde coniiciendum est. At vero iniuria. Ex veterum enim testimoniis fide ponderata et ex nummis initium regni Woltersdorfius[3] accurate eruit, a. 120 constituens aut a. 112, ubi peractis in silvis septem annis tutela se abdicans ipse regni administrationem rex suscepit. Ex his apparet Trogum, virum priscae eloquentiae[4], disertissimum[5], ipsam veritatem non custodientem moliri voluisse rhetoricum artificium.

Sed non magis Trogus orationem quam Sallustius epistulam, ut dicta erat, ante oculos habuisse putandus est, quem non alia epistulae notitia instructum esse verisimile videtur, quam quae ad aures illis ipsis temporibus perveniebat, nisi omnino negare malis unquam extitisse epistulam chirographam. Id autem cum per se credendum est tum confirmatus argumentis. Orationes, quas historiis interposuerit, ex suo effinxisse ingenio Sallustium neque eas a viris, quos velit, re vera habitas esse censens a multis et doctis viris adiuvor. Et Baehrii quidem affero verba[6]: diese Reden hervorgerufen durch das Staatsleben der Römer und den Einfluss, den hier die Beredsamkeit auf den Gang der öffentlichen Angelegenheiten ausübte, anderentheils aber auch als eine Folge der rhetorischen Bildung und des immermehr hervortretenden Strebens, Werke zu liefern, die auch durch die Form und die

---

[1]) cf. Mommsen Röm. Gesch.[4] II p. 287.
[2]) Iust. XVIII 1, 6; 11. XXIII 3, 11—12 plane idem.
[3]) comm. vitam Mithridatis M. per annos digestam sistens Gottingae 1813 cap. III.
[4]) Iust. praef. 1.
[5]) Vopisc. Prob. 2, 7.
[6]) Röm. Litgesch.[3] II p. 78.

Darstellung sich auszeichneten und den Geschmack der Zeit befriedigten. So erscheinen diese Reden zugleich als wahre Kunstproducte. Teuffelius p. 398, 4[1]) sic iudicavit: Urkundlich sind diese Reden nicht, qui, cur ita concludat, exposuit. Addas G. E. Muellerum[2]): Rom fand damals vielen Geschmack an Reden und . . . man gab gerne Muster, wie sie hätten sollen gehalten werden et Dietschium in annot. ad Sall. Catil. (edit. min.) pp. 240 et 293. Accuratius sententiam illam comprobare ab hoc loco alienum mihi videtur, attamen meo iure astipulor, praesertim cum iam ex indole orationum itemque ex formulis iterum iterumque repetitis: orationem huiusce modi habuit; huiusce modi verba locutus est; habuit; hoc modo locutus est; disseruit ut pro vera accipiamus propensi futuri simus et Sallustium eo modo dixisse, quo cuiusque ingenio maxime sit aptum, omnes persuasum habeant. Multo magis illustratur, quod Sallustius in oratorum Graecorum studium diligentissime incumbens sententias singulas ab ipsis illis dictas in suas excepit orationes, ad suum autem arbitrium in dispositione sola egit atque dicendi genera eorum, quos loquentes induxit, proprietatibus adaptavit. Quibus de translationibus e scriptoribus Graecis factis, ut supersedeas comparare, te remitto ad Dolegae dissertationem[3]). In epistulis quoque libris insertis, quod gravissimum apparet, quominus idem valeat, nihil est impedimento et praecipue in ea quidem, quam maxime ad me pertinere puto, in Mithridatis epistula ad Arsacen regem. Neque adversatur Dor. Gerlachius[4]), qui: tiefsinnige Enthüllung der römischen Staatskunst inesse videt neque Hitzigius[5]) mihi non assentitur conclamans: Wie kann dem Mithridates oder vielmehr dem Sallust ein Philologe oder Historiker . . . einen solchen Satz zutrauen? Optime iam patefecit Dolega rem l. l. p. 42. Ursini reiiciens opinionem consentis ex simillimo inter epistulam et Corcyraeorum apud Thuc. I 32—36 orationem argumento illam ex hoc scriptore Graeco pendere uberius ostendit, Sallustium nisi argumentatione Corcyraeorum non usum eorum orationem imitari, pressius sequi in exornando sermone formulas sententiasque Demosthenis. Utut rem, quo pacto habeat, intellegimus, hoc quidem certum iudicium ferre licebit, quod in nostra epistula ad argu-

---

[1]) cf. Pauly Realencycl. VI 1 p. 701.

[2]) cf. historisch-kritische Einleitung zu nöthiger Kenntniss und nützlichem Gebrauche der alten latein. Schriftsteller Dresden 1747 vol. II p. 448 squ.

[3]) de Sallustio imitatore Thucydidis, Demosthenis aliorumque scriptorum Graecorum. Vratisl. 1871 p. 23 sqq.

[4]) cf. histor. Studien Hamburg u. Gotha 1841 I p. 304.

[5]) Mus. Rhenan. vol. X p. 469.

mentum epistulae a Mithridate re vera scriptae Sallustius sese non applicuit.

Et aliarum astringimur pondere causarum. Arsaci, Parthorum regi, epistulam scribentem fecit Sallustius Mithridatem, Tigrane ad Tigranocerta a Lucullo plane devicto urbeque ipsa non multo post capta. Atque legimus in Phlegontis Tralliani Olympiad. seu Chronic. frg. 12 (ed. Muell. III p. 606 = Phot. cod. 97 *ἐμοὶ δὲ ἀνεγνώσθη μέχρι τῆς ροζ′* (i. e. CLXXVII) *Ὀλυμπιάδος — τῷ τρίτῳ αὐτῆς ἔτει — καὶ Σινατρούκην*[1]) *τὸν Πάρθων βασιλέα τελευτήσαντα διεδέξατο Φραάτης*[2]) *ὁ ἐπικληθεὶς ὁ Θεός. — τῷ δὲ τετάρτῳ ἔτει Τιγράνης καὶ Μιθριδάτης — ἐπολέμησαν Λευκόλλῳ καὶ νικᾷ Λεύκολλος.* Respondet[3]) vero annus tertius alteri dimidio a. 684 et priori a. 685 a. u. c. (= a. 70 et 69 ante Chr. nat.) et pugna illa commissa est mense Octobri a. 685 (69)[4]). Sinatruces autem cognomine appellatus erat rex Arsaces XI. Quae si cum Sallustio comparaverimus, Mithridatem epistulam daturum fuisse videbimus Arsaci Sinatruci tunc iam dudum mortuo. Idem, quod e Sallustio scimus, Dio Cassius lib. *λς′* (XXXVI) cap. 3[5]) enarrat: *αὐτοὶ* (sc. Mithridates et Tigranes) — *καὶ πρὸς . . . Ἀρσάκην τὸν Πάρθον . . . ἐπρεσβεύοντο.* Iam vero perquirendum est utrum reapse adierint Arsacen Parthorum regem an Sallustius Dioque false hunc nominantes omni prorsus destituti esse videantur auctoritate. A quibus discrepat Memnon Heracleota l. XVI 85 (ed. Muell. III p. 556): *αὐτὸς δὲ πρὸς τὸν Πάρθον Φραδάτην* (al. *Φραάτην*) *διεπρεσβεύετο*, cuius historiarum testimonium, ubi cum aliis bonae notae scriptoribus eas conferre licet, cum dissentiunt, praeferendum est (cf. Muell. p. 525). Neque contradicit Livius, in cuius l. C. periocha legimus: Cn. Pompeius cum rege Parthorum Phraate amicitiam renovavit, quae verba aperte innuunt iam antea cum illo rege foedus esse ictum. Quid quo alio modo hoc intellegi vis? Comperimus autem e Dionis l. XXXVI 5: *καὶ μαθὼν* (sc. *Λεύκολλος*) *τὴν πρέσβειαν τὴν ὑπό τε τοῦ Τιγράνου καὶ τοῦ Μιθριδάτου πρὸς τὸν Ἀρσάκην πεμφθεῖσαν, ἀνταπέστειλέ τινας ἐκ τῶν συμμάχων. ὁ οὖν Ἀρσάκης τότε μὲν . . . καὶ φιλίαν τε καὶ συμμαχίαν ἐσπείσατο*, quibus consentiunt et

---

[1]) Nominis diversitati (Sinatrocces, Sinatroices, Sintrices) vis non est tribuenda.

[2]) v. Mommsen Röm. Gesch.[4] III p. 67.

[3]) cf. Pauly Real-Encycl. V p. 919.

[4]) v. Mommsen p. 65.

[5]) Dionis capita appono ex editione Imm. Bekkeri Lips. 1849.

Memn.[1]) l. XVI 58 et Appian.[2]) Mithrid. c. 87, quorum alter quidem nomen omittit, alter regem nominat Phraaten, id quod omnem tollet dubitationem, quoniam eorum auctoritas Dione potior[3]) est. Phraates igitur fuit rex ille Parthorum, ad quem Lucullus ex sociis nonnullos ablegavit et quocum de integro postea reconciliavit amicitiam Pompeius. Et ne quis offendatur, quod Arsacis I memoriae hunc honorem Parthos tribuisse Iustinus l. XLI 5, 6 affirmat, ut omnes exinde reges suos Arsaci nuncuparent! Quod refutatur a Strabone l. I E 36 p. 979 (ed. Meineke): *Ἀρσάκαι γὰρ καλοῦνται πάντες, ἰδίᾳ δὲ ὁ μὲν Ὀρώδης, ὁ δὲ Φραάτης, ὁ δ' ἄλλο τι* magisque a Dione l. XXXVI 45 sic tradente: *τοῦ γὰρ Ἀρσάκου τοῦ τῶν Πάρθων βασιλέως ἀποθανόντος — Φραάτην τὸν διάδοχον αὐτοῦ —. ἐπεὶ δ' ὁ Πομπήιος τὴν φιλίαν τῷ Φραάτῃ διὰ ταχέων — προσυνέθετο*, unde sequitur, ut inter priorem et alterum Dio noverit discrimen. Et profecto alius est Arsaces XI Sinatruces, alius Phraates III cogn. Arsaces III[4]). Cum Dione autem Sallustium et in epistula et aliis locis mirum in modum consentire iam Willmansius[5]), Grasshofius[6]), Lauerus[7]) palam fecerunt. Itaque, licet nullum iis de rebus fragmentum possideamus, quominus eodem modo atque Dionem Sallustium quoque reges edidisse nos autumemus, quis est quod impedit? Proinde comprehendamus, quod sentio! Sallustium ex gravi errato, in quod et Dio auctoritate eius motus incidit, epistulam Mithridatis manuscriptam ante oculos habuisse et cognosse aut certiorem de ea esse factum neganti satio mihi probatur illam historiis insertam sine dubio esse a scriptore nostro confictam.

---

[1]) *Ἀφικομένων δὲ πρὸς τὸν Πάρθον καὶ παρὰ Λευκόλου πρέσβεων τοῖς μὲν Ῥωμαίοις ἰδίᾳ φίλος εἶναι ὑπεκρίνατο καὶ σύμμαχος.*

[2]) *Ἀντιπρεσβεύοντας δὲ τοῦ Λουκούλλου (ἐς τὸν Παρθυαῖον) καὶ ἀξιοῦντος ἢ οἱ συμμαχῆσαι ἢ ἀμφοτέροις ἐκστῆναι τοῦ ἀγῶνος, ὁ μὲν κρύφα συντιθέμενος ἑκατέροις*, in quibus Livii adhibuisse videtur annales.

[3]) Friedr. Richter hist.-crit. Versuch über die Arsaciden- und Sassaniden-Dynastie Leipzig 1804 p. 67.
Vaillant Arsacidarum imperium sive regum Parthorum historia Parisiis 1728. p. 81.

[4]) cf. Ersch und Gruber Allgem. Encycl. III 12 p. 386.

[5]) de fontibus et auctoritate Dionis Cassii Berolini 1835. diss.

[6]) de fontibus et auctoritate Dionis Cassii Cocceiani Bonnae 1867. diss.

[7]) de scriptoribus belli Mithridatici tertii Progr. Wetzlar 1871 I.

Unde quid efficiatur priusquam videamus, paululum declinare liceat. Non silentio praeterire velim Hermanni Peteri[1]) iudicium, qui Plutarchum in bello Mithridatico enarrando (vit. Luculli c. 6—37) ex Sallustio ut primario fonte pendere vult. Ille cap. 30 Parthorum regem priorem ad Lucullum legatos misisse et deinde hunc invicem suos perhibet, qui alius legationum ordo nos facile in errorem inducere potest. Sed aut Plutarchum in his rebus describendis alium scriptorem secutum esse ac Sallustium tantum interdum inspexisse cum Grasshofio (p. 7) Laueroque (p. 3 sqq.) statuamus neccesse est, aut fontem omnino non valemus cum Heereno[2]) indicare, quod disceptare in animo mihi non est.

Postquam, ut spero, mihi contigit, ut Mithridatis epistulam ad regem Arsacen a Sallustio inventam esse et excogitatam ostenderem eiusque orationem apud Trogum in nullius scriptoris auctoritate niti, satisque mihi multa verba fecisse visus sum, in nonnullis discrepantiis inter epistulam orationemque et varietate dissensioneque sententiarum, quae nimirum ex ipsa rei natura sequuntur, tamen miram consensus speciem et eam primo iam obtutu eminere, prae qua evanescat diversitatis cogitatio atque emoriatur, id quidem e causis tum in natura tum in opinione positis luculenter elucebit, Pompeium Trogum aetate inferiorem[3]) prioris Sallustii dicta cum utique potuisse excerpere tum vero excerpsisse.

Oritur nunc quaestio, num etiam et quonam modo

ceteris in operis partibus

Trogus Sallustii fuerit studiosus. Quod indaganti, cum viderem magnam esse similitudinem inter prima Iustini epitomes verba et Sallustii Catilinae exordium, quae neminem fallat, mihi persuasissimum fuit, postquam alios et doctissimos quidem viros similem iam sententiam aperuisse animadverti. Dico Wassium solum in annotationibus ad Sallustii Catilinam p. 458 (ed. Havercamp[4]): Iustinus nostri aemulus et Iugurth. p. 326: Iustinus, qui nostrum fere sequitur. Adiungas supra pag. 21. Sed tamen ut Trogus in rebus Mithridaticis Sallustium modice tantum potuit exscribere, cum praeterquam quod primi belli adversus Romanos

---

[1]) Die Quellen Plutarch's in den Biographien der Römer Halle 1865. p. 107.

[2]) de fontibus et auctoritate vitarum parallelarum Plutarchi comm. IV Gottingae 1820.

[3]) cf. supra pag. 15 sqq.

[4]) Amstelodami, Utraiecti, Hagae Comitis 1742.

gesti initia tetigit[1]), ordinem patriae historiae a scriptoribus iam traditum nescio quo consilio reliquerit, sed abunde eo in usurpandis sententiarum formulis usus est auctore, ita non minus eadem nobis statuenda est ratio reliquorum librorum, quorum argumenta materiaque a Sallustio valde abhorrent. Quorum unde fluxerint complura Wolffgartenius et Geschwandtnerus edocuerunt; quibus rem non ab omni parte ponderantibus contenti esse non possumus. Nam Trogus hat mit dem ihm vorliegenden Material viel freier und selbstständiger geschaltet. Vor allen Dingen ist nicht zu verkennen, dass sich viel rhetorische Ausschmückung bei ihm findet, für die wir wohl nicht immer die Quelle verantwortlich machen können iam Frickius p. 3 cognovit comprobavitque. De suo penu Trogus illud attulit, quem in Mithridatis oratione illa exornanda et omni ex parte dilucide adumbranda cum eo, qui haec potissimum artificia adhibet[2]), cum Sallustio, artissime cohaerere atque coniunctum esse intelleximus?

Cum pudore autem ac modestia in iis, quos nunc excutere volumus, Trogi historiarum libris versandum est, quorum nihil, ne fragmenta quidem habemus, quae apud Iustinum epitomatorem adhuc servata inde petenda sunt. Quoad animum intenderis, ut assequamur, quanam ratione bene succedentes Trogum ipsum ex Iustino possimus exsecare, ut porro, quae Trogi, quae Iustini sint propria, cognoscamus, iudicium utique ferri recte nequit; verumenimvero alioquin timendum est, ne illius genuina permisceamus cum huius additamentis, fide digniorem ac gravem cum leviore, argutias Trogi suique saeculi iudicia cum sequentibus, fontem cum rivulo. Quae equidem hoc loco ad liquidum perducere non valeo et longum est. (cf. p. 17 sqq.)

Urget hac de causa necessitas, ut, quae in ingenti Iustini librorum farragine dispersa sunt, extricandi officium aliis delegem, quamobrem sub unum obtutum utrumque scriptorem conferre mihi liceat ulterius procedenti et tali modo certa atque explorata potius constituere quam pronuntiare probabilia, vana, inania, quae fundo idoneo carent. Qua in re reprehendi me posse ingenue fateor; attamen sic inter Pompeii Trogi historiarum Philippicarum epitomen et Sallustium qui extat conexus certe non potest nos fugere.

Omnes nunc examinaturus sum libros, quaestionem, quam tractandam suscipiam, ita instituens, ut, quibuscunque locis Trogi

---

[1]) Astipulantur Gatterer: Allgemeine historische Bibliothek Halle 1767 vol. III p. 181
et Iustini interpretes Beneckius Duebnerusque.

[2]) cf. Ulrici Charakteristik der antiken Historiographie Berlin 1833. p. 128.

ipsius et verba et vestigia agnoverunt viri docti, eos semper asterisco (*) designem.

Respondet autem Sallustio Iustini epitome verbis collatis hisce; ac primum quidem

praefatio.

Sall.	Iust.
Cat. 3, 2: arduum videtur res gestas scribere.	2: res gestas scribentibus opus suum ardui laboris videatur.
Cat. 16, 3. Iug. 14, 13. 76, 1. per otium.	4: per otium.
Cat. 4, 2: carptim ut quaeque memoria digni videbantur perscribere.	cognitione quaeque dignissima excerpsi.
Iug. 85, 32: Neque litteras Graecas didici.	qui Graece didicissent.
Cat. 4, 1: non fuit consilium socordia atque desidia bonum otium conterere.	5: ut et otii mei, cuius et Cato reddendam operam putat, apud te ratio constaret.
Iug. 88, 1: postquam invidia decesserat.	6: cum invidia decesserit.

unde et Iustinum ipsum inter Sallustii studiosos posse numerari mihi quidem verisimile videtur, quo multo difficilius redditur disquisitio, quibus locis e Sallustio hausisse censeatur Trogus.

Liber I.

Cat. 2, 1: initio reges (nam in terris nomen inperi id primum fuit).	cap. 1. 1: Principio rerum gentium nationumque imperium penes reges erat, quos non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat.
C. 2, 6: inperium semper ad ad optumum quemque a minus bono transfertur.	
C. 9, 1: ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat.	2: populus nullis legibus tenebatur.
C. 6, 1: Aborigines sine legibus.	
I. 18, 2: Ei neque moribus neque lege aut inperio cuiusquam regebantur.	
I. 41, 7: Paucorum arbitrio belli domique agitabatur.	arbitria principum pro legibus erant.
C. 2, 1—2: vita hominum sine cupiditate agitabatur, sua cuique satis placebant. Postea vero — lubidinem dominandi caussam belli habere, maxu-	3: Fines imperii tueri magis quam profere mos erat.

mam gloriam in maxumo imperio putare.	
C. 6, 4: reges populique finitumi bello temptare.	5: bella intulit finitimis.
I. 96, 1: rudis antea et ignarus belli.	rudes adhuc ad resistendum.
hist. I 8: Gallia perdomita.	populos perdomuit. cf. II 3, 15.
C. 1, 3: gloriam quaerere.	7: gloriam quaerebant.
C. 10, 1: reges bello domiti.	8: domitis proximis.
C. 36, 4: armis domita.	7, 3. II 5, 12. cf. XII 1, 12.
h. III 53: Isauri domiti.	
C. 2, 2: nationes subigere.	populos subegit.
h. II 5: relicto (?) filio.	10: relicto filio.
	cap. 2.
C. 51, 28. I. 41, 2: rem publicam tractare.	1: imperium tractare.
C. 47, 2: quae sit fatetur quemve simulasset.	5: Eadem — fatentur ac — dissimulantem coarguunt.
h. I 48, 3: vobis dignitatem, illi — detrahi.	6: illi dignitatem ademit.
h. I 47: ceteros anteibat.	viros anteiret.
h. I 48, 13: malos anteibant.	3, 2: feminas anteiret.
I. 18, 5: materia in agris.	7: materia in illis locis.
I 5, 4: multa et praeclara — fecit.	8: multa et alia praeclara fuere.
C. 41, 2: studium belli.	11: belli studia deposuit.
C. 25, 3: Sempronia — peteret viros.	10: Semiramis — concubitum filii petiisset.
I. 83, 1: bellum — deponi.	11: belli studia deposuit.
C. 20, 10: divitiis omnia consenuerunt.	in feminarum turba consenuit.
I. 109, 4: adhibetur — internuntius.	12: per internuntios.
Cf. supra p. 39.	13: trecentis annis tenuere I 6, 17; 8, 14. II 3, 16; 11, 4. III 7, 13. IV 1, 12. IX 6, 1. XXXIII 2, 6. XLIII 1, 13. XLIV 2, 7.
	cap. 3.
I. 85, 19: homines conrupti. h. I 48, 7.	1: vir — corruptior.
C. 7, 4: in scortis lubidinem habebant.	2: inter scortorum greges mollitia — lascivia.
I. 38, 10: mortis metum intuebantur, sicuti.	4: ut metu mortis — solent latebras circumspicit.

I. 93, 5: temptans omnia et circumspiciens.	
C. 2, 6: inperium ad — transfertur.	6: imperium ad — transfert.
	* cap. 4.
I. 63, 1: portendi dixerat.	3: portendi responderunt.
Apud Sall. creberrima vox!	4: nobilitas — extolleret.
I. 6, 3: mediocris viros.	mediocri viro.
I. 71, 3: omnium consiliorum particeps. Cat. 17, 5. 21, 3.	6: arcanorum particeps.
I. 63, 1: per idem tempus forte.	8: Forte eodem tempore. V 11,1.
h. III 67 col. VII 18: multis precibus cum oraret.	9: summis precibus rogat.
I. 11, 4: fatigatus a —, ut.	10: precibus fatigatus. XLII 5, 5.
I. 111, 3: fatigare singulos.	
I. 14, 20: fatigatus lenitur.	
I. 66, 2: subpliciis fatigati.	
	* cap. 5.
C. 54, 3: constantia laudabatur.	3: admiratus constantiam.
C. 9, 5: agitare inperium.	5: agitato regno.
Cf. supra pag. 38.	6: in ultionem[1].
h. III 61, 21: vos differunt in adventum.	7: odium in occasionem distulit.
	* cap. 6.
I. 89, 3: maiora adgredi.	1: eadem aggredi.
I. 42, 1: eadem ingredientem.	
I. 29, 2: socius — consiliorum adsumitur.	socium coeptis adsumeret.
I. 22, 3: quo plura — strenue fecisset.	5: Quod cum strenue fecisset.
C. 21, 5: Postquam omnium animos alacris videt.	6: dein cum alacriores — factos videret.
I. 63, 2: animus belli ingens.	12: ingens post necessitatem pugnandi animus.
I. 95, 3: animo ingenti.	
	cap. 7.
I. 20, 4: eam rem belli causam fore.	2: quae res multorum bellorum — causa fuit.

*) Borchardt l. l. p. 13 sqq.

[1]) II 4, 24. 6, 13. 12, 1; 23. III 4, 15. 6, 1. VI 6, 7. XII 5, 11. XVI 1, 5. in auxilium XIII 8, 3. XVIII 2, 1. in contumeliam XXIV 2, 9. in favorem XIII 6, 19. XVII 2, 6. in gratiam XVII 2, 6. in honorem XXIX 4, 3. in ludibrium XXXVI 1, 5. in necem XVI 5, 12. XXVI 1, 10. in praedam XXI 3, 7. in praemium XXX 4, 18. in spem XXXI 1, 1.

C. 7, 1. 17, 7. 22, 1. 24, 3. 36, 4. I 8, 1. 13, 7. 30, 4. 32, 5. 35, 1. 37, 1. 40, 5. 65, 5. 104, 4. h. IV 61, 10. inc. 33 et al.[1]).	3: ea tempestate. XV 4, 20. XIX 2, 3. XX 1, 5. 4, 4. 5, 12. XXV 2, 8. XXVII 3, 3.
I. 43, 5: omnibus rebus — compositis in Numidiam proficiscitur.	4: compositis — rebus bellum transfert in Lydiam.
C. 2, 9: aliquo negotio (= labore[2]).	5: nullo negotio.
C. 37, 6: regis victu — aetatem agerent.	7: regiam vitam degeret.
h. I. 48, 2: bellum pati.	10: passurus bellum.
I. 13, 8: ne gravius in eum consuleretur.	si quid in Croeso crudelius consuluisset.
C. 4, 1: desidia otium conterere.	13: quos otium ac desidia superavit.
C. 5, 7. h. I 48, 7: scelerum conscientiā.	15: voluptatum conscientiā.
h. I 10. 48, 5: ad postremum.	17: ad postremum III 5, 15. VI 2, 6. XII 1, 11. 11, 8. 15, 7. 16, 12. XIII 8, 10. XIV 3, 1. XX 5, 14. XXV 2, 4. XXVIII 3, 17. XXX 3, 10. XXXV 1, 11. XXXVI 1, 5. XXXVII 1, 9. XXXIX 1, 7. XLI 5, 7. 6, 3; 6. XLII 2, 6. 4, 8. XLIII 2, 1. 3, 4. 4, 2; 9.
I. 24, 9: fidem verbis faceret.	17: adfirmationi fidem faceret.
	* cap. 8.
I. 46, 5: in Numidiam procedit.	3: in Scythiam processisset.
I. 106, 5: castra metabatur.	castra metatus est.
I. 36, 2: metum simulare.	4: simulato metu.
I. 54, 6: et alia quae usui forent adfatim praebita.	vini adfatim et ea quae — erant necesaria, reliquit.
I. 76, 6: vino et epulis onerati.	6: vino se onerare.
I. 106, 6: insidiis circumventos.	10: insidiarum frande circumvenit.
I. 60, 5: diffidentiam simulare.	simulata diffidentia.
	cap. 9.
I. 13, 2: inperio adiungit.	1: imperio Aegyptum adiecit.
C. 14, 3: paricidae sacrilegi.	4: post sacrilegia parricidium.

---

[1]) Vocem ‚tempestas' summo studio Sallustius usurpavit antiquos in hoc re secutus. cf. Gerlach. ed. mai. II 2 p. 312. Bruennert p. 46. Serv. ad Verg. Georg. I 27.

[2]) Dietsch. ed mai. p. 100.

h. I 18: Quis rebus suspectis.	14: Quae res suspecta.
C. 37, 1: conscii coniurationis fuerant.	19: conscii fuere huius coniurationis.
I. 71, 4: ad regem pergit.	ad regiam pergunt.
h. II 41, 1: animus negotio defuit.	20: quibus animus defuit.
I. 102, 9: fortuna regit.	23: fortuna regente.
	cap. 10.
C. 36, 2: diem statuit.	4: die statuta.
h. I 22: deis sacrata.	5: deo sacratos.
I. 93, 2: aestuans agitaret.	* 15: aestuante rege.
I. 87, 1: proelia facere.	21: proelia facit.
h. IV 61, 12: exercitu prodito.	22: exercitum prodit.
	liber II.
	* cap. 1.
C. 8, 2: Atheniensium res gestae, sicut, ego aestumo, satis amplae magnificaeque fuere.	1: rerum ab Scythis gestarum satis amplae magnificaeque fuerunt.
I. 78, 2: limum trahunt.	21: Nili trahentis.
h. III 10: maximum esse Nilum consentitur; Proxima magnitudine esse Histrum scripsit	

Sallustius; quibus cum verbis num Iustinus, qui inde a § 5 de Scythia et Aegypto disputavit, cohaereat, in medio ponamus necesse est.

	cap. 2.
h. III 51: Scythae nomades tenent, quibus plaustra sedes sunt.	3: nec domus illis ulla aut tectum aut sedes est.
	4: uxores liberosque secum in plaustris vehunt, quibus coriis — tectis pro domibus utuntur.
C. 9, 1: ius bonumque apud eos non legibus magis quam natura valebat.	5: Iustitia gentis ingeniis culta, non legibus. § 10.
Vid. supra pag. 30.	7: reliqui mortales. § 11.
I. 89, 7: lacte vescebantur.	8: lacte vescuntur.
h. inc. 19: Vestes de pellibus.	9: pellibus ferinis utuntur.
C. 2, 1: vita hominum sine cupiditate agitabatur, sua cuique satis placebant.	10: continentia — nihil alienum concupiscentibus.
	7: aurum — adpetunt.
C. 5, 4: alieni adpetens.	
C. 2, 5: ubi pro continentia lubido.	
h. IV 61, 5: cupido profunda divitiarum.	10: divitiarum cupido.

I. 89, 5: moribus incultum.	14: cultos mores incultae barbariae.
	cap. 3.
h. IV 61, 15: suberat regnum bello intactum.	1: ab alieno imperio intacti mansere.
h. II 96, 4: ab Alpibus submovi.	2: ab Scythia submoverunt.
I. 106, 3: turpi fuga.	turpi fuga.
h. II 96, 6: dux cum exercitu deleti.	3: ducem cum copiis deleverunt.
I. 31, 17: maius dedecus est parta amittere quam omnino non paravisse.	7: nihil parare, quod amittere timeant.
C. 12, 4. 15, 2. I. 14, 7. h. I 41, 22. 48, 8.	nihil praeter — concupisco.
I. 50, 5: ante iam docti ab.	9: iam ante — ab — certiores facti.
h. I 48, 10: exspectatis, dum exercitu — invadat?	13: non exspectaturos, dum ad se veniatur.
h. I 8: Gallia perdomita.	15: Asiam perdomitam. 13, 3. XXX 4, 6. XXX I 8, 3. XXXVII 3, 2. XLIV 5, 8. cf. I, 5.
C. 20, 7: semper illis reges — vectigales esse.	17: his Asia per annos vectigalis fuit.
	* cap. 4.
h. III 49: campi Themiscyrii, quos habuere Amazones, a Tanai flumine digressae.	1: iuvenes — iuxta amnem Themodonta consederunt subiectosque Themiscyrios campos occupavere . . . dictae Amazones.
I. 21, 2: arma sumentis.	4: arma suunt.
	§ 22.
C. 7, 1: augendae rei publicae.	6: rem publicam augere.
C. 40, 6. I. 47, 4. 73, 2.	15: domum dimittunt.
I. 18, 12: gloriam sibi addere.	18: tantum additum gloriae.
C. 51, 28: rem publicam eorum tractarent.	20: Amazonum regna tractabant.
I. 91, 4: nihil hostile metuentis.	21: nihil hostile metuente
C. 10, 1: ubi — reges magni domiti, — cuncta patebant.	26: frustra et Ponti sinum et Asiam edomitam esse dicit, si Graecorum rapinis pateant.
I. 41, 10: dissensio oriri.	29: dissensione orta. II 12, 18.
	cap. 5.
I. 5, 1: varia victoria fuit.	4: varia victoria fuisset.
C. 45, 2: sicuti praeceptum erat.	5: sicut praeceptum erat.

C. 56, 5: cum servis fugitivis.	fugitivi servi.
I. 14, 15: capti in crucem acti.	6: quicunque capi potuerunt supplicia crucibus luerunt.
I. 40, 2: partim conscii sibi.	7: sibi consciae partim.
I. 28, 7: Numidiam / h. inc. 12: Iapudiam } ingredi. vid. pag. 38.	10: Scythiam ingressus. VI 1, 4.
C. 52, 9: opulentia neglegentiam tolerabat.	11: iactura abundante multitudine inter damna numerata non est.
	cap. 6.
C. 8, 2: Atheniensium res gestae — verum aliquanto minores tamen quam fama feruntur.	1: bella Atheniensium verum etiam ultra gesti fidem peracta sunt.
h. inc. 101: rebus supra vota fluentibus.	1: opera effectu maiora quam voto fuere.
h. I 66: omnis recipit mons.	11: quos refugia montium receperunt.
C. 15, 2: timens privignum adultum aetate.	14: propter adultam privigni aetatem.
h. IV 61, 15: in Armeniam concessi.	15: Colchos concessit. XII 13, 4. XIII 5, 16.
I. 55, 2: de belli eventu.	16: de eventu proelii.
h. III 77: mare ingrediuntur. vid. pag. 38.	19: castra ingreditur. III 1, 2 regiam. XXXVIII 8, 3.
	cap. 7.
C. 29, 3: potestas magistratui permittatur.	2: administratio magistratibus permissa.
h. IV 48, 17: ex lubidine leges inperantur.	3: libido pro legibus habebatur.
I. 45, 1: tanta temperantia inter.	5: tanto temperamento inter.
I. 79, 1: egregium atque memorabile facinus.	6: inter egregia illud memorabile.
C. 14, 5: animi dolis capiebantur.	12: animos cepit.
	cap. 8.
C. 7, 4. 12, 2. 13, 4. 14, 7. 16, 1. 17, 6. 37, 7. h. I 12. vid. pag. 35.	2: iuventutem locat.
I. 99, 3: cunctos strepitu clamore.	solito clamore ac strepitu.
h. III 70: cohortes intellegi coepere.	intellectos se sentiant.
I. 22, 1. (46, 5. 69, 1. 113, 5): obvius procedit.	4:[1]) obvii procedunt.

[1]) § 4. iisdem dolis Megarensis capi Iustinus prodit, quibus Vaccenses per Metellum Sallustius Iug. 69, 1.

I. 101, 8: paulum a fuga aberant.	paulum a capienda urbe abfuit.
C. 51, 10. I. 81, 1: oratione adcendere.	9: oratione multitudo accenditur.
I. 34, 1: multitudo adcensa.	
	cap. 9. (*§ 14—19).
I. 24, 7: regnum tenet.	2: imperium tenet.
C. 25, 4: caedis conscia.	3: conscios caedis.
h. IV 68: religione diem moratus.	9: quatridui teneri religione.
h. I 41, 27: ducem et auctorem.	10: dux belli et auctor.
C. 43, 4: maxumum bonum in celeritate putabat.	plus praesidii in celeritate quam in sociis duceret.
I. 35, 4: neque in amicis satis praesidii est.	
C. 19, 2. I. 14, 18. h. III 61, 24.	
C. 21, 5: animo alacris.	11: animorum alacritas.
	cap. 10.
I. 5, 5: filium privatum dereliquerat.	4: filium privato pervenisse.
C. 20, 1: omnibus arbitris procul amotis.	10: sine arbitris.
I. 49, 6: in planum dedecit.	24: in planum deducebat.
	* cap. 11.
I. 63, 1: fortunam experiretur.	6: fortunam experiendam.
	§ 19.
C. 58, 8: parato animo.	9: parato animo.
	cap. 12.
C. 50, 1: opifices sollicitabant ad.	1: sollicitare eos in partes suas.
I. 83, 1: habere copiam societatis coniungendae.	2: conloquendi copiam habere.
C. 58, 18. I. 3, 4. 31, 20.	3: vos dementia tenet.
Saepissime!	facinus agitare.
I. 14, 4: parum tuta.	7: parum tutum.
C. 34, 1. 36, 2. I. 21, 4: ab armis discedant.	a bello discedite.
C. 15, 4: animus deis hominibusque infestus.	9: quasi non cum Graecis tantum sed et cum dis immortalibus bellum gereret.
h. I 48, 10: arma advorsum divina et humana omnia cepit.	
h. I 101: vacuam urbem viris (al. coniec. hominibus).	11: Athenas vacuas hominibus.
h. II 5: insulam hominibus vacuam [1]).	

[1]) haec verba Dietschio suspecta sunt.

I. 65, 5: ira grassari.	igne grassatur.
C. 58, 20: multitudo hostium ne circumvenire queat, prohibent angustiae loci.	18: angustias freti ne circumveniri a multitudine posset, occapassent.
C. 40, 2: civitatum principibus.	civitatium principes.
C. 57, 1: plerique dilabuntur.	19: qui dilabi vellent.
	27: plures domum dilabuntur.
I. 58, 4: acerrime rem gereret.	23: bellum acerrime ciebat.
C. 25, 1: quae multa saepe virilis audaciae facinora.	24: in muliere virilem audaciam cerneres.
	cap. 13.
I. 24, 4: clade perculsus.	1: clade perculsus.
I. 65, 3: hunc anxium adgreditur atque hortatur, ut.	1: dubium Xerxen adgreditur. 2: Hortatur, ut —.
I. 73, 5: in maius celebrans. vid. supra pag. 38.	2: in maius omnia extollens. 14, 2.
I. 6, 1: uti mos est.	sicuti mos est.
I. 41, 5: libertatem in lubidinem vortere.	6: desperationem in virtutem verterent.
C. 58, 7: ferro iter aperiundum est.	iter ferro patefacerent.
h. II 96, 4: iter aliud patefeci.	
h. I 107: fugam maturabat.	7: fuga maturata.
C. 46, 5. consul Lentulum perducit.	8: milites perducendos.
I. 14, 23: rerum humanarum spectaculum praebeo.	10: res spectaculo digna et aestimatione sortis humanae rerum varietate miranda.
	cap. 14.
C. 10, 4: omnia venalia habere I. 8, 1. 20, 1.	3: libertatem his venalem.
I. 20, 3: aedificia incendit.	incensis, quae aedificare coeperant.
C. 60, 2: proelium conmitti.	4: ibi proelium commissum.
	infra 9.
I. 14, 18: si fortuna inperio mutaretur.	5: fortuna cum duce mutata non est.
h. II 96, 6: castra capta.	6: castra capta.
C. 51, 5. I. 36, 2. 37, 3. 114, 3. h. IV 61, 16.	10: confecto bello (et al.)
	cap. 15 (* 1—12).
I. 70, 1: suspecti Lacedaemoniis.	2: suspectus regi.
I. 13, 8: ne gravius in eum consuleretur.	8: ne gravius in se consulatur.
C. 51, 26: quid in alios statuatis.	10: quid de se crudelius statuerent.

I. 7, 4: obviam eundo periculis.	16: conatibus obviam eundo.
I. 62, 9: de integro bellum sumit.	17: ex integro bellum instituit.
	liber III.
	cap. 1.
I. 48, 2: in spem victoriae adductus (Cat. 40, 4. I. 29, 3. 37, 3.)	2: in spem regni adductus.
I. 35, 6: aliquem vi adgrederetur.	obsistentes dolo adgreditur.
C. 35, 3: falsa suspitione alienatus.	6: falsa suspitione oppressus.
C. 43, 2: quibus insidiae parabantur.	ipsi pararentur insidiae.
C. 52, 31: egregius adulesens.	9: egregius adulescens.
	cap. 2.
h. IV 61, 17: huc arma convortisse.	1: arma convertit.
I. 31, 8: plebi sua restituit.	6: filio regnum restituit.
C. 7, 4: per laborem usu militiam discebat.	10: laborem militiae adsidua consuetudine faciliorem.
C.10,3: pecuniae cupido — quasi materies omnium malorum.	12: auri argentique usus ut materies omnium scelerum.
	cap. 3.
I. 103, 3: agendarum — conponendi licentiam illis permisit.	2: populo sublegendi potestatem permisit.
C. 56, 2: aequaliter distribuerat.	3: aequaliter divisit.
C. 4, 1: agrum colendo aetatem agere.	5: in agrum deduci — primos annos — agerent.
Vid. pag 35.	8: matrimonia (= uxores) coercere. 5, 6.
	cap. 4 (*8 — fin.)
C. 22, 1: post execrationem.	1: se obstrinxerint execratione belli intestini.
C. 5, 2: bella intestina.	
h. III 61, 7: concessere illuc.	quo concesserant.
I. 10, 3: ob beneficia. 14, 3.	18: ob beneficii memoriam.
	* cap. 5.
I. 102, 8: mala perpessus es.	2: mala perpessi essent.
h. I 41, 5: quos fortuna belli consumpserat.	11: advorsum proelium consumpsisset.
h. I 41, 24: tantis animis invadat.	14: tantis animis concursum est.
	cap. 6.
I. 113, 3: adhibitis amicis.	2: socios adhibere.
I. 90, 2: pecus, quod praedae fuerat.	4: pecuniam, ne praedae esset.
I. 110, 6: bellum populo Romano feci.	5: bellum Atheniensibus facerent.

C. 52, 33: patriae b. f.	
h. I 41, 19: arma ab — in nos vorsa.	8: omissis Messeniis arma adversus — verterant.
C. 39, 4: aequa manu discessisset.	9: aequo Marte discessum.
I. 13, 6: amicos adquirant.	11: hostes adquirerent.
C. 20, 2: virtus vostra spectata.	12: spectatae virtatis.
	cap. 7.
I. 55, 8: neque otium pati.	1: otium non tulerunt.
I. 31, 8: quidquid sine sanguine ulcisci.	4: ulcisci hostem sine periculo
I. 40, 2: ex — invidia periculum.	8: periculum ex invidia.
I. 94, 7: gloriam ex . . . invenit.	10: maximam gloriam invenit.
I. 17, 1: Africae situm paucis exponere.	16: expono, de Siciliae situ pauca . . .
	liber IV.
	* cap. 1.
h. IV 20: Italiae Siciliam coniunctam fuisse constat; set medium spatium aut per humilitatem obrutum est aut per angustiam scissum.	1: Siciliam ferunt angustius quondam faucibus Italiae adhaesisse diremptamque velut a corpore maiore impetu superi maris.
h. III 24 undarum vi.	undarum onere.
add. Isidor. orig. XIII c. 18, 3 [1]): Sallustius scribit dicens — (frgt. IV 20) —. Et inde Ῥήγιον nominatum, quia Graece abruptum hoc nomine nuncupatur.	7: Proximum Italiae promuntorium Regium dicitur, ideo quia Graece ‚abrupta' hoc nomine pronuntiantur.

Quae verba Isidorum, non Sallustium sapere Kritzius animadvertit; contra Dietschio ex illis verbis apertum est, Sallustium etiam de originatione nominis Ῥήγιον dixisse, sed quo conexu id cum reliquis fuerit, certo constitui posse diffidit, cui porro haud absurda haec videtur suspicio, praecessisse illud verbis IV 20 a Servio allatis, et paene certum videtur ‚abruptum' ab Isidoro translatum esse. Neque equidem credo hoc loco ad Trogi imitatoris tamquam medici arcessiti manum Sallustium mutilatum posse restitui a verisimilitudine abhorrere.

h. IV 21: procul visentibus.	9. procul visentibus.
h. III 67 col. II, 5.	
frgt. IV 21 ex Isidor. l. l. sumptum: Scyllam adcolae saxum mari inminens adpellant saxum cele-	

[1]) corp. grtc. lat. III p. 426 ed. Lindemann.

bratae formae procul visentibus

sequuntur:

unde et monstruosam speciem fabulae illi dederunt quasi formam hominis, caninis succinctam capitibus, quia collisi ibi fluctus latratus videntur exprimere,

quae verba cur Sallustiana esse neget Dietschius profecto non videns, tamen omisit. Attamen e similitudine, quae extat inter ea et Trogi

§ 13: hinc igitur fabulae Scyllam et Charybdin peperere; hinc latratus auditus, hinc monstri credita simulacra, dum navigantes magnis verticibus pelagi desidentis exterriti latrare putant undas, quas sorbentis aestus vorrago conlidit,

quivis, opinor, sponte intelleget, in Isidori verbis haud improbabiliter latere, quae de fabularum illarum origine Sallustius explicaverit, ut hoc quoque loco eius studiosum fuisse Trogum satis magna veri specie coniici possit[1].

Cum illo Trogi, cui adiungenda est

§ 15: spiritum in fundum trahit etc.

conferre licet

h. IV 22: Charybdis mare vorticosum, quod — sorbens gurgitibus occultis ad littora trahit, ubi se laniata navigia fundo emergunt.	
h. IV 20: Italiae Siciliam coniunctam — altitudo Siciliae.	16: Italiae Siciliaeque vicinitas, iam promuntoriorum altitudo.
	cap. 2.
h. III 61, 6: omnes concessere in paucorum dominationem.	3: singulae civitates in tyrannorum imperium concesserunt.
I. 18, 12: victi omnes in gentem nomenque inperantium concessere.	
C. 20, 2: fides spectata.	5: spectatae fidei
I. 24, 10: per maiestatem inperi.	regni maiestatem.

[1]) Omnes tenebrae tolluntur, si alterum fontem praeter Sallustium Trogo interdum subesse recordamur. Vid. pag. 51.

	cap. 4.
h. I. 44: exercitibus decretis.	3: classis decernitur.
I. 7, 4. 31, 3: terrori alicui esse.	ipsis terrori essent.
h. IV 61, 6: fracto Philippo.	6: fracti Syracusani.
I. 80, 5: res oportunissima bello.	8: opportuna bello loca.
h. I 40: magna utrimque vi contendebatur.	12: ex utraque parte summis viribus dimicabatur.
	cap. 5.
C. 45, 1. I. 30, 1. 68, 1. 71, 5. 103, 3.	4: male actae rei.
I. 38, 5: fugere tutius foret.	8: tutiorem fugam rati.
I. 102, 6: tutius rati.	
I. 87, 2: fugientes capi aut occidi.	9: fugientes partim capit partim caedit. V 6, 4.
	liber V.
	cap. 1.
C. 34, 2: in exilium proficisci.	2: in exilium profectus est. 3, 8. 5, 8. XX 4, 16. XXXVIII 8, 11.
C. 5, 7. 15, 4. 35, 2 etc.	conscientia rei.
C. 48, 2: incendium vero crudele inmoderatum.	5. 6: incendium — immoderati imperii crudelitate.
h. I 41, 5: quos fortuna belli consumpserat.	10: consumpti fortunae varietate.
	cap. 2.
C. 37, 6. 59, 3. I. 38, 6. 45, 2.	1: gregarii militis. XXXVIII 9, 3. XLIV 2, 8.
I. 8, 1: domi clari.	3: domi clarum.
I. 35, 8: supra gratiam invidiam esse.	4: plus invidiae quam gratiae.
h. III 61, 21: vindices uti se ferunt libertatis.	13: vindices se libertatis professi sunt.
C. 33, 5: neve necessitudinem inponatis.	14: ne necessitatem imponeret.
I. 83, 1: deponendi bellum.	deponendi belli.
	cap. 3.
I. 13, 8: gravius in eum consuleretur.	6: crudeliter in plebem consuleret.
I. 65, 4: Romam scribant.	7: Athenas scribit.
I. 74, 1: advorsum hostes pergere.	9: adversus Lacedaemonios pergit.
I. 68, 1: cum maxuma cura.	summa cura.
	cap. 4. (*9 — fin.)
I. 87, 1: proelia multa alia aliis locis facere.	6: multis locis proelia facit.
h. II 96, 5. IV 61, 11: recepi Galliam, Asiam.	recipit civitates.

C. 35, 2: honore honestatos.	13: honoribus onerant. (honorant al.)
C. 48, 1: execrari — ad caelum tollere — detrimento.	14: execrationibus devotus — in caelo posuisse — detrimenta.
I. 13, 6: expleant muneribus — adquirant.	16: explent muneribus adquisitae.
h. I 90. II 41, 4. inc. 63: in ore.	17: in ore est.
	cap. 5.
I. 49, 2: ducem mutatum.	4: ducem mutarent.
	cap. 6.
h. III 11: maxuma industria.	1: maxima industria.
h. III 68: rebus perditis.	5: rebus perditis.
h. I 101: militari aetate.	militari aetate[1]) consumpta.
C. 30, 6: servo libertatem, libero inpunitatem decrevere.	servis libertatem damnatis inpunitatem darent,
h. I 41, 12: civitate — data.	peregrinis civitatem darent.
h. II 41, 11: fortuna maris.	7: fortunam maris experiundam.
I. 63, 1: fortunam experiri.	
C. 53, 1: virtus animi.	8: virtus animorum.
I. 101, 11: hostes capi, occidi.	9: omnes capiti aut occisi.
h. III 61, 7: ad vos concessere.	10: ad regem concedit.
	cap. 7. (*4 — fin.)
C. 12, 3. h. II 23, 2. III 22. IV 59.	2: in triumphi modum. XVI 5, 5. XXXII 1, 7.
I. 14, 15: morte graviorem vitam.	8: miserior incolumnium quam amissorum fortuna.
	cap. 8.
I. 24, 3: obsessus — ferro an fame urgear.	1: obsessos fame urgent.
	cap. 9.
h. I 36: vasta rapinis fuga caedibus.	1: caedibus et rapinis exhauriunt.
	3: Fit fuga.
C. 51, 9: casum miserati.	7: casus miserantium favor.
I. 62, 8: armis spoliatus est.	11. armis spoliant.
	cap. 10.
I. 4, 3: gratiam quaerere.	7: quaerentes gratiam.
I. 110, 5. C. 14, 5. I. 14, 11: dolis capi.	10: armis vinci — dolo capi.
	liber VI.
	cap. 1.
I. 93, 3: more ingeni humani cupido.	1: more ingenii humani — cupientes.

[1]) vid. pag. 35.

Cat. 11, 3.	
h. I 10: dominationem adfectabant.	imperium adfectare.
I. 29, 3: belli moram redimebat — pretio aut gratia effecturum.	6: bello redimi; hostem pretio submovi.
h. II 96, 4: hostes submovi.	
	cap. 2.
C. 54, 1: eis genus, aetas, eloquentia prope aequalia fuere, magnitudo animi par, item gloria.	7: par ducum — aetas, virtus, consilium, sapientia utrique prope una; gloria eadem.
I. 31, 20: invicti ab hostibus.	invictum ab altero.
I. 11, 4. 94, 3: diu fatigati.	12: diu rege per epistulas fatigato.
I. 71, 4: ad regem pergit.	ad regem pergit.
I. 44, 5: agros vastare, villas expugnare.	16: agros vastat, urbes expugnat.
	cap. 3.
C. 57, 5: fortunam belli temptare.	1: fortunam belli temptaturus.
I. 66 1: cum magna cura.	2: magna cura.
	cap. 4.
C. 10, 3. I. 19, 1. h. IV 61, 5: cupido inperi.	4: spes imperii.
I. 82, 3: parta victoria eriperetur.	13: victoriam eripuit.
	cap. 5.
I. 105, 1: Quibus rebus cognitis.	1: Quibus rebus cognitis.
I. 20, 8: qua pergebat, agros vastare.	8: vastatis terris, pergit Athenas.
C. 31, 1: inmutata urbis facies erat, ex summa laetitia — tristitia invasit.	plus tristitiae ex incensa et diruta patria quam laetitiae ex recuperata.
	cap. 6.
C. 34, 1: ab armis discedant.	1: iubet omnes ab armis discedere.
C. 51, 43: qui aliter fecerit, eum contra rem publicam facturum.	qui aliter fecisset, eum se pro hoste habiturum.
I. 31, 8: plebi sua restituere.	civitatibus sua omnia restituit.
h. I 9: cum adsiduis bellis.	2: adsiduis bellorum odiis.
h. I 41, 14: fessa bellis.	4: fessi tot bellis.
I. 47, 1. 66, 2. 103, 1.	6: praesidium inponunt.
	cap. 7.
I. 107, 2: hostilia faceret.	1: quicquam hostile facientibus.
C. 53, 6: effeta aetate parentum.	4: effetae aetatis viri.

C. 13, 4: iuventutem[1] ad facinora incendebant.	10: iuventas incensa.
C. 60, 4: strenui militis et boni inperatoris officia simul exequebatur.	11: non ducis tantum, verum et fortissimi militis officio fungitur.
	* cap. 8.
I. 5, 5: inperi vitaeque eius finis idem fuit.	3: patriae gloriam et natam et extinctam cum eo fuisse.
I. 4, 8: alia omnia per se ipsa clara et magnifica sint ac non perinde habeantur, ut eorum qui ea sustinent virtus est. I. 63, 5.	8: honores ita gessit, ut ornatum non accipere, sed dare ipsi dignitati videretur.
C. 2, 8: eorum vitam mortemque iuxta aestimo.	11: neque ab hoc vitae proposito mortis ratio dissensit.
	cap. 9.
h. II 96, 9: exercitum stipendio aluit.	5: stipendium, quo milites alebantur.
h. II 96, 5: hostis in cervicibus iam Italiae agentis.	7: regnum Graeciae cervicibus inponeret.
	liber VII.
	cap. 1.
I. 14, 7: regnum crescere.	12: crescenti regno.
	cap. 2.
I. 14, 15: generis praesidia extincta.	4: extinctam stirpem.
I. 14, 22: inmaturo vita erepta est.	5: inmatura morte raptus.
I. 9, 3: Iugurtham heredem instituit.	Aeropum instituit heredem.
h. I 8: adsiduis bellis.	adsidua certamina.
	* cap. 3.
I. 78, 3. h. III 1.	1: eius tractus regna.
I. 66, 3: inter epulas.	3: inter epulas.
C. 15, 2: captus amore Aureliae — nuptiis fecisse.	9: amore filiae Amyntae captus nuptias facit.
	cap. 4.
h. I 48, 2: pacem praestare.	1: pacem praestitit. XLIII 5, 3.
	cap. 5.
C. 46, 2: in maxumo scelere — deprehensis.	5: in scelere deprehensus.
	cap. 6.
h. II 45: regnum ingressus[2].	1: est ingressus imperium magna spes omnibus.
C. 16, 5: illi spes magna.	

[1]) cf. pag. 66, II 8, 2.
[2]) vid. pag. 38.

I. 41, 7: populus militia atque inopia urguebatur.	3: inopia belli — urguerent.
C. 16, 4: obprimundae rei publicae consilium.	4: conspiratione ad opprimendam Macedoniam.
h. IV 49: territos animi firmavit.	5: trepidos animos firmaret.
h. III 60: altores[1] Iovis.	11: altore virginis.
I. 75, 10: nihilo segnius bellum parare.	15: neque segnior in bellum.
	liber VIII.
	cap. 1.
I. 5, 4: post magnitudinem nominis Romani opes adtriverat.	6: post arma et bellum locum legibus reliquisset.
C. 48, 1: consilia execrari.	10: omnes execrantur.
C. 60, 7: in confertissumos hostes incurrit ibique pugnans confoditur.	13: inter confertissimos dimicans cecidit. XXXIII 2, 1. XXXV 1, 11.
	cap. 2. (* 8 — fin.)
C. 5, 7: conscientia scelerum.	4: conscientia delictorum[2].
I. 27, 3: delicti conscientia.	
I. 38, 7: foeda fuga abiectis armis.	abiectis armis fugam capessunt.
I. 53, 3: fugam faciunt abiectis armis.	
I. 76, 6: poenas perpendere.	poenas pendunt.
I. 7, 3: incredibile memoratu est quantum.	5: incredibile quantum.
I. 37, 9. 55, 2.	8: belli eventu.
C. 58, 8: proelium inibitur.	11: bella inierant.
	cap. 3.
h. II 41, 3: scelere meo vici.	1: scelere vinceretur.
I. 11, 8: per dolum caperetur.	6: captis per dolum.
I. 63, 1: quae animo agitabat.	12: agitasset animo.
C. 9, 2. 49, 2. 51, 16. h. I 10.	13: piraticam exercere. XVI 4, 11. cf. XXI 2, 9.
I. 93, 3: ingeni more.	15: more ingenii.
C. 59, 1. I. 97, 4: exercitum instruit.	instructo exercitu.
	cap. 4. (* 7 — 9).
C. 22, 1: ad iusiurandum adigeret.	11: iure iurando adactis.

[1]) substantiva in ‚or‘ saepissime usurpata sunt a Sallustio. Vid. Gerlach. ed. mai. II 2 p. 312.

[2]) vid. pag. 36.

	cap. 6.
C. 23, 3: consuetudo vetus stupri.	6: ad stupri consuetudinem.
	liber IX.
	cap. 2.
h. IV 61, 5: dum a Carthaginiensibus premebantur.	1: cum bello premeretur.
C. 1, 5. 2, 3. 53, 1: virtute animi.	6: virtute animi.
I. 89, 3. 92, 4: adgredi aliam rem; maiora.	10: bella adgreditur.
I. 38, 5. 53, 1. 75, 7. 89, 5. 92, 7. h. I 41, 12. 46. III 41. inc. 25.	15: pecoris magna vis. XII 9, 8.
	cap. 3.
I. 66, 2: fatigati subpliciis. h. II 96, 4: hostes submovi.	6: legationibus fatigant hostem submovendum.
h. I 100: numero praestans.	9: numero praestarent.
C. 60, 6: memor generis atque pristinae suae dignitatis confoditur. C. 61, 2: quem quisque vivus pugnando locum ceperat, eum amissa anima corpore tegebat. C. 61, 3: tamen advorsis volneribus conciderant.	10: non tamen inmemores pristinae gloriae cecidere; adversis vulneribus omnes loca, quae tuenda a ducibus acceperant, morientes corporibus texerunt.
	cap. 4.
I. 66, 3: inter epulas.	1: inter epulas.
I. 85, 9: in potestatibus temperare. I. 98, 6: laetari — exultare.	3: inter laetitiam et dolorem temperavit — exultasse.
h. I 41, 5: quos fortuna belli consumpserat.	4: bello consumptorum corpora.
h. I 39: in regnum restituentis.	8: in patriam restituit
	cap. 5.
h. III 33: Isauri domiti.	7: domitarum gentium.
	cap. 6.
C. 7, 2: regibus suspectiores.	4: nemini suspectus.
	cap. 7.
C. 33, 2: novissime [1]) solutum est.	13: novissime consecravit.
	* cap. 8.
I. 43, 3: instrumenta militiae.	5: instrumenta bellorum.
C. 10, 5: aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere, amicitias inimicitias non ex re set ex commodo aestumare.	8: adloquio qui plura promitteret quam praestaret. — Amicitias utilitate, non fide colebat.

[1]) Et Cato et Sallustius verbo isto usitati sunt. Gell. noct. Att. X 21, 2.

I. 96, 3: ioca atque seria cum humillimis agere.	in seria et iocos artifex.
I. 4, 3: maxuma industria — gratiam quaerere.	9: gratiam quaerere sollemnis consuetudo.
	liber X.
	cap. 1.
I. 36, 1: inperi insignibus.	3: insignia maiestatis.
I. 106, 6: insidiis circumventos.	7: insidiis circumventus.
	cap. 2.
C. 26, 3: insidias parabat Ciceroni.	5: patri insidias parat.
	cap. 3.
C. 58, 12. 60, 3. I. 49, 2: memores pristinae virtutis.	5: memoriam pristinae virtutis.
I. 5, 5: inperi vitaeque eius finis idem fuit.	7: vitam cum regno finivit.
	liber XI.
	cap. 1.
I. 62, 9: taedio rerum advorsarum omnia bello potiora duceret.	3: taedio lonquinquae militiae remissam sibi expeditionem gaudebant.
I. 85, 47: ex calamitate metus ceperit.	5: mutatione rerum metus ceperat.
h. I, 8: Gallia perdomita.	6: Europam perdomitam. I 1, 5. XLIV 5, 8.
C. 30, 5: pro tempore exercitum compararent.	8: hortatus pro tempore est, ut metum demeret.
h. III 61, 21: dempto metu.	
	cap. 2.
C. 25, 4: caedis conscia.	1: caedis conscios.
C. 10, 1: aemula inperi Romani.	3: aemulum imperii.
I. 32, 3: auro conrupti,	7: magno auri pondere corruptum. 10, 5. XXXV 2, 1.
I. 29, 6: cum parvo argenti pondere.	
I. 33, 4: producto Iugurtha verba facit.	8: adfirmaverit producto in contionem auctore.
I. 74, 2: parati instructique.	10: instructo paratoque exercitu.
	cap. 3.
I. 104, 4: quoniam paenitet.	3: primi paenitere coeperunt.
	cap. 5.
C. 51, 12: magno inperio praediti in exelso aetatem agunt.	1: quos in excelsiorem dignitatis locum provehens imperiis praefecerat.
C. 10, 3: materies omnium malorum.	2: materia seditionis.

	cap. 6.
I. 74, 3: Numidis pedes magis quam arma tuta.	7: nec in pedibus cuiquam spes, sed in lacertis.
h. I 86: ad furta belli peridoneae.	8: victoriae furtivae convenire.
	cap. 7. (* 5—13).
I. 100, 1: propter conmeatum agere decreverat.	4: propter praedam cupido.
C. 47, 2: ex libris Sibyllinis regnum Corneliis portendi.	7: gnara artis ex disciplina parentum regnum ei portendi.
h. I 9: discordiarum finis.	10: de fine discordiarum.
	cap. 9.
C. 59, 5: circumiens hortatur, ut meminerint.	8: omnia circumire, singulos hortari — admonere.
I. 24, 10: non iam mortem neque aerumnas tantum modo inimici inperium et cruciatus corporis deprecor.	14: non tam mortem, sed dilationem mortis deprecor.
h. III 61, 21: ubi pertimuere — dempto metu.	timentibus metum dempsit.
	cap. 11.
C. 48, 7: postea praedicantem — sibi inpositam.	4: filium non esse praedicaverat.
	cap. 12.
C. 48, 6: potestatem faciundam.	1: potestatem faciat.
I. 66, 1: quae spe pacis amiserat.	5: spe pacis amissa.
	cap. 13.
I. 71, 1: exercito corpore fessus — aegrum animum — somnus cepit.	1: confectum curis somnus arripuit.
C. 59, 5: equo circumiens.	6: duces circuire suos.
	cap. 14.
h. II 96, 2: totiens sanguine fuso.	2: tantum sanguinis fusum.
I. 98, 2: modo laborantibus suis succurrere modo hostis, ubi confertissumi obsteterant, invadere: manu militibus consulere.	5: periculosissima quaeque adgrediebatur et, ubi confertissumos hostes acerrime pugnare conspexisset, eo se semper inmergebat.
	liber XII.
	cap. 2.
I. 80, 4. 104, 5. 111, 1.	12: foedus amicitiamque.
h. I 41, 12: innoxia plebes.	17: genti innoxiae.
C. 39, 2: innoxii florentes.	
	cap. 3.
I. 20, 6: animo invaserat.	2: animo complectentibus.

	cap. 4.
h. III 53: domiti Isauri.	12: Parthis domitis.
	XXIV 5, 9. XXXVI 1, 9. cf. I 1, 8.
	cap. 5.
C. 51, 9: casum rei publicae miserati sunt.	4. filii casum miserantes.
C. 46, 4: manu tenens perducit.	10: vinctus perducitur.
	cap. 6. (* 5—17).
h. I 41, 5: clade satiatus.	5: satiatus caede.
h. III 67 col. VII 18: multis precibus oraret.	15: precibus exoratus est.
I. 29, 5: in deditionem acciperetur.	18: in deditionem accepit. 7, 13. 9, 1. XXV 3, 6.
	cap. 7.
I. 48, 3: collis vestitus oleastro ac murtetis.	7: montis vite hederaque vestiti.
	cap. 8.
h. I 9: adsidius bellis militiam tolerare.	13: continuam militiam pertulerint.
	cap. 9. (* 5—fin.)
I. 52, 5. 90, 3: ad flumen pergit.	1: ad amnem pergit.
I. 92, 3: oppida deserta. I. 22, 1. 31, 2: defensores[1]).	5: urbem desertam a defensoribus. 13, 4. XVI 4, 10. XXV 2, 4. XXVIII 3, 5. XLII 4, 9.
C. 59, 3 propter aquilam adsistit.	9: propter murum stabat.
	cap. 10.
h. II 96, 4: hostes ab Alpibus submovi.	5: hostes a muris submoventes.
I. 79, 10: aras consecravere — instituti.	6: aras statuit.
I. 75, 2: quamquam loca arida esse cognoverat.	7: cum arida loca dicerentur.
	cap. 12.
I. 49, 4: conmonefacere benefici sui.	2: sua beneficia commemorat.
I. 18, 6: per conubia miscuere.	adfinitatibus conubiorum miscuisse.
I. 33, 1: contra decus regium.	12: contra decus regium.
	cap. 13.
C. 31, 1: omnis tristitia invasit.	2: terrarum orbem terror invaserat. XXVI 2, 3: rabies animos invaserat.

[1]) cf. VII 6, 11 et annot. 1.

	XLII 4, 14: sollicitudo senem inv.
I. 12, 2. h. IV 61, 15: concedere in.	4: in urbem concessit. XXII 1, 6. XLIV 3, 2.
	cap. 14.
C. 7, 2: regibus boni suspectiores sunt.	2: magnis rebus gestis apud regem invidiosum esse.
	* cap. 15.
I. 43, 5: invictum animum advorsus divitias.	4: in hostem invictus animus. XXXV 1, 11.
	cap. 16.
I. 63, 1: magna atque mirabilia portendi haruspex dixerat.	6: omen — victoriam portendebat.
I. 6, 2: exacta sua aetate. I. 61, 1.	8: exacta pueritia.
	liber XIII.
	cap. 1.
C. 46, 2: periculis ereptam. C. 48, 4.	3: morte ereptus.
C. 49, 3: grandem pecuniam.	8: grande pondus auri. XXV 1, 5.
	cap. 2.
h. I 9: discordia — aucta.	3: discordiam augebat.
	cap. 3.
I. 4, 3: salutare plebem et conviviis gratiam quaerere.	2: potentiam ex adulatione quaerere.
I. 12, 5: in aedis inrupere.	4: in regiam inrumpunt.
	cap. 4.
C. 37, 6: ex gregariis militibus senatores.	10: quem ex gregario milite provexerat.
C. 51, 28: rem publicam tractarent.	11: ad tractandam provinciam.
	cap. 5.
C. 36, 2: praeter rerum capitalium condemnatis.	2: exules praeter caedis damnati restituebantur.
C. 57, 1: plerique dilabuntur.	17: copiae dilapsere.
	cap. 6.
h. I 41, 22: victor exercitus, cui per tot volnera et labores nihil quaesitum est.	1: victor nihil praemii praeter vulnera et pericula rettulit.
C. 24, 4. 44, 6. 46, 3. 50, 1. 56, 5. I. 66, 1[1]).	2: congestis servitiis.
h. I 41, 19: arma ab externis in nosmet vorsa.	17: ferrum ab hostili bello in civilem sanguinem vertit.

[1]) vid. pag. 35.

	* cap. 7.
I. 19,3: Cyrene, colonia Theraeon.	1. sqq.: Cyrene condita — Therae insulae.
h. II 5: . . . Apollinis filio et Cyrenes.	7: Cyrene, — virginem, — ab Apolline raptam a deo repletam peperisse — Aristaeum.
	cap. 8.
I. 35, 4: insidiatores[1].	6: insidiatores.
	liber XIV.
	cap. 1.
I. 73, 5: in maius[2]) celebrare.	2: in maius extollere.
h. III 60: in maius conponere.	
C. 28, 1: operam pollicitus.	14: operam offerunt.
	cap. 2. (*8—11).
C. 20, 16: vel inperatore vel milite me utimini.	11: orat ut non tam ducem se quam commilitionem recipiant.
	cap. 3.
h. III 68: occultam fugam temperare.	7: fugam se temptaturos.
	6: servitia. cf. XIII 6, 2.
C. 47, 4: ex fuga retractus.	12: fugere temptavit, sed retractus.
C. 39, 5: ex itinere retractus.	
	cap. 5.
I. 50, 1: armis diffiderent.	6: armis diffisi.
C. 58, 17: audacia pro muro habetur.	7: murus urbi virtus civium fuerit.
I. 21, 2: insequentes manibus prohibuit.	9: prosequentes — prohiberi finibus.
	cap. 6.
I. 24, 3: ferro an fame urguear.	5: fame ferroque urgueretur.
I. 38, 9: fame et ferro clausum teneret.	
C. 36, 4: obstinatis animis perditum ire.	8: obstinatos venire ad se occidendum.
I. 85, 10: veteris prosapiae[3].	11: veteris prosapiae.
	liber XV.
	cap. 1.
I. 33, 1: pecuniae captae.	2: pecunia capta.
	cap. 2.
h. I 10: dominationem adfectabant.	5: regnum, quod adfectabat. XVIII 7, 18. XXII 7, 10. XXIV 5, 13. XXIX 2, 3. XXXVIII 9, 10.

[1]) cf. XII 9, 5 et pag. 76 ann. 1.
[2]) vid. pag. 38.
[3]) Vocem Sallustius a Catone hausit. cf. Bruennert. p. 11.

	* cap. 3.
C. 23, 1: haut obscuro loco natus.	1: inlustri loco natus.
I. 14, 23: rerum humanarum spectaculum praebeo.	4: miserandum spectaculum reddidisset.
C. 40, 3: remedium miseriis suis mortem.	6: venenum in remediis calamitatium.
	cap. 4. (* 2—9).
I. 82, 1: novus hostis adcesserat.	1: novus hostis accesserat.
	XVII 2, 10: tertius hostis sibi accederet.
I. 107, 1: ab inermibus pedibus auxilium petere.	16: salutem pedum celeritate quaesierat.
I. 99, 1: somno captis.	17: somno captus.
C. 4, 4: periculi novitate.	18: ad novitatem regni.
h. I 41, 19: arma in nosmet vorsa.	23: in semet ipsos arma vertunt. XXVII 2, 11.
I. 62, 9: de integro bellum sumit.	25: ex integro bella nascuntur.
	liber XVI.
	cap. 1.
I. 22, 4: sceleri obviam isse.	10: occupasse insidias. XXXIV 4, 2.
I 14, 9: stirpis tuae extinctorem[1]).	15: extinctorem regiae domus.
	17: interfectores stirpis suae.
C. 27, 4: Calpurnio Numidia obvenit.	19: Macedonia Antipatro obvenerat.
	cap. 2.
I. 10, 6: concordia parvae res crescunt.	1: vires quaesitae essent concordia.
h. III 61, 8: spem frustra fuisse.	3: spes frustra fuit.
I. 101, 3: spes frustrata.	
C. 50, 4: in custodiam traditi.	4: in custodiam tradit.
I. 95, 3: familia extincta.	5: stirpis extinctae.
h. II 41, 2: honesta mors.	6: honeste mori. XX 3, 6.
h. II 41, 9: honestius vitae finem fecerim.	
	cap. 3. (* 4—fin.)
I. 83, 1: alia abnuere.	9: conlationem abnuerant.
C. 39, 4: libertatem extorqueret.	10: ad extorquendum quod negabatur.
h. III 52: ferocissumi Tauri.	11: ferocissimas gentes.
	cap. 4.
C. 51, 9: belli saevitia.	12: pristina saevitia.
I. 19, 1: sollicitata plebe. C. 28, 4.	16: sollicitata plebs. 5, 1.

[1]) cf. XIII 8, 6 et ann.

	cap. 5.
I. 31, 10: incedunt per ora vostra.	5: per ora civium trahit.
I. 20, 6: regnum invaserat.	18: tyrannidem invasit.
	liber XVII.
	cap. 1.
I. 63, 1. 70, 1. 114, 1.	1: Per idem tempus.
h. II 23, 2: ultra Romanorum morem.	4: ultra humanum morem.
I. 43, 5: animum invictum gerebat.	11: cupiditatem insatiabilem gerebant.
C. 31, 2: pericula metiri.	12: vitae finem — metiebantur.
	cap. 2.
I. 106, 6: insidiis circumventos	5: per insidias circumventus.
C. 33, 5: — cum anima simul amisit.	— cum vita pariter amittit.
	cap. 3.
h. I 9: adsiduis bellis.	16: adsiduis bellorum certaminibus. XVIII 2, 11. XX 5, 14. XXXIX 5, 5.
h. I 41, 5: ex ira in miserationem vortunt.	21: odio in misericordiam vorso.
	liber XVIII.
	cap. 1.
C. 36, 5: praemiis inductus.	1: precibus — spe inductus
C. 61, 7: Neque exercitus populi Romani — incruentam victoriam adeptus erat.	7: Nec hostibus incruenta victoria fuit.
	cap. 2.
h. I 48, 2: bellum pati.	1: bellum paterentur.
I. 108, 1: speculatam Bocchi consilia.	3. speculaturus consilia eius.
	XXI 6, 1: ad speculandos animos. XXXI 2, 1. 4, 4.
	cap. 3.
I. 94, 3: diu multumque fatigati.	6: diu varieque fatigati.
h. III 67 col. VII 12: servilli ingenio.	13. 14: servilis ingenii ratio.
	* cap. 4.
I. 9, 2: heredem instituit.	3: heredibus institutis.
C. 39, 2: eum vi adgrederetur.	10: fratrem dolo adgreditur.
	14: ministros adgreditur.
	cap. 7.
C. 10, 1. 36, 5. h. III 53.	2: Siciliae partem domuerant. XLI 5, 9. XLIV 5, 6. cf. I 1, 8. XII 5, 12.
C. 33, 1: deos hominesque testamur.	5: deos hominesque testati.

C. 60, 4: officia exequebatur.	7: officia executurum.
C. 51, 25: in parricidas rei publicae.	18: in patria parricidii.
C. 17, 7: opes crevere.	19: opus creverunt.
	liber XIX.
	cap. 2. (*8 — fin.)
h. I 41, 13: leges iudicia.	6: iudicia legesque.
	liber XX.
	cap. 2.
C. 51, 30. h. I 41, 6.	11: metu territi.
	cap. 3.
C. 33, 6: maxume ulti sanguinem nostrum pereamus.	5: non inulti morerentur.
C. 58, 21: inulti animum amittatis.	
	cap. 4. (*5—13.)
C. 25, 2: alia, quae instrumenta luxuriae sunt.	11: cetera — velut instrumenta luxuriae.
	cap. 5. (*3 — fin.)
I. 77, 2: amicitiam societatemque rogatum. 83, 1.	4: societatem amicitiamque petentes. XXIII 2, 1.
h. IV 61, 4: societatem petere.	
h. IV 61, 6: fracto Philippo.	14: fractus.
	liber XXI.
	cap. 1.
I. 42, 4: mortalis ferro extinxit. I. 24, 2.	1: extincto tyranno. XXXIX 2, 8.
C. 10, 1: aemula inperi Romani.	3: aemulos imperii sui. 6, 3. XXII 3, 4. XXXIX 1, 10.
I. 20, 1: in regnum animum intendit. I. 43, 2.	4: animum ad favorem intendit.
	4, 8: in dominationem intendit.
	cap. 2.
I. 64, 5: ira grassari.	2: saevitia grassatur.
I. 1, 3. h. inc. 96.	
I. 92, 3: caede omnia conplentur.	caedis civitatem replet.
C. 57, 5: fortunam belli temptare.	6: fortunam temptasset.
C. 49, 2: inimicitias exercebant.	9: saevitiam exercet. XXII 1, 14. XLIII 3, 5. cf. VIII 3, 13.
h. III 67 col. VI: citra [contra leg.] praeceptum ducis rapere ad stuprum virgines matronasque.	10: coniuges ad stuprum rapi iubebat, virgines. XXVI 1, 7.
	cap. 3. (* 1—8.)
h. IV 5: sorte ductos necat.	4: sorte ductae fungantur.
C. 2, 4. 5, 7. 9, 3. I. 96, 4.	9: his artibus regnasset.

	cap. 4.
C. 20, 1: arbitris remotis.	3: sine arbitris.
C. 46, 3: ad concitanda servitia.	6: servitia concitat.
	cf. XIV 3, 6. XLI 2, 5.
h. I 30: fracta prius crura bracchia et oculi effossi, scilicet ut per singulos artus expiraret.	7: effossis oculis et manibus cruribusque fractis velut a singulis membris poenae exigerentur.
h. III 67 col. VII: lacerum corpus.	8: corpus lacerum.
	cap. 6.
C. 31, 4: crudelis animus.	7: crudeli animo.
	liber XXII.
	cap. 2.
I. 29, 2. h. IV 61, 12.	4: Syracusae inpugnatae.
	cap. 3.
I. 91, 4: nihil hostile metuentes.	1: nihil hostile metuentes. XXXVI 1, 2.
I. 20, 1. 58, 1: ex inproviso invadit.	1: ex improviso adgreditur.
I. 23, 2: infestum hostem.	3: infestissumo hosti.
C. 47, 1: in ea coniuratione esse.	6: in imperio esset.
	cap. 4.
C. 59, 1: exaequato periculo.	5: exaequata condicione.
	cap. 5. (* 3—fin.)
C. 22, 2: aperuisse consilium suum.	2: consilium suum aperit.
C. 20, 13. 52, 21. I. 85, 3: domi forisque.	4: domi — foris. 7, 3. XXXI 5, 8: domi forisque.
C. 20, 14: ea victoribus praemia.	11: Africam praemium victorum. 13: praemium victoribus uberius.
	cap. 6.
I. 5, 2: vastitas Italiae.	9: vastitatem agrorum.
	cap. 8.
C. 19, 1: adnitente Crasso.	6: Paulum adniterentur.
I. 35, 6: inconsultius adgreditur.	7: inconsultius proelium committendo.
h. I 48, 15; 20[1].	12: proditor.
	liber XXIII.
	cap. 1.
h. III 67 col. II: praedantibus.	10: praedare soliti. XXII 5, 2.
	cap. 2. (* 7—12.)
C. 24, 2: factum concusserat.	1: adventus opinione concussi.

[1]) cf. XVI 1, 15 et annot.

C. 36, 5: vis morbi.	3: vis morbi.
C. 51, 9: divelli liberos a parentum conplexu.	7: uxor ab agro divelleretur.
	cap. 3.
C. 46, 2: anxius erat dubitans in maxumo scelere . . . quid facto opus esset; poenam . . . sibi oneri, inpunitatem perdundae . . . . fore credebat.	6: anxius tam ambiguo periculo incertusque quid ageret . . ., periculosum videbatur non traiicere, periculosius . . . deducere.
h. inc. 101: rebus supra vota fluentibus.	12: rebus supra vota fluentibus.
	cap. 4.
C. 47, 2: regnum Corneliis portendi.	8: regnum infanti portendi.
C. 43, 3. I. 7, 1: promptus manu.	11: manu promptum.
	liber XXIV.
	cap. 1.
h. I 10: dissidere inter se.	1: dissidentibus inter se.
	* cap. 3.
I. 106, 6: neque scelus inultum relinquendum.	10: nec inulta scelera fuerunt.
	cap. 4.
I. 19, 1 multitudinis domi minuendae gratia — alias urbis . . . condidere.	1: abundanti multitudine cum eos non caperent terrae — ad sedes novas quaerendas miserunt.
C. 40, 1: gens Gallica bellicosa.	4: Galli — gens bellicosa.
I. 14, 22: tibi inmaturo.	11: inmaturi iuvenis.
	cap. 5. (* 8—11.)
I. 48, 1: animi popularium temptati.	1: ad temptandos Macedonum animos.
C. 51, 9. I. 92, 3: luctu omnia compleri.	8: luctu omnia replentur.
	cap. 6. (* 6—fin.)
I. 82, 3: iam parta victoria.	1: parta victoria. XXV 2, 11.
	cap. 7.
I. 92, 4: aliam rem adgreditur.	1: rem adgrederetur.
	* cap. 8.
I. 60, 2: strepitus armorum.	6: strepitum armorum.
	liber XXV.
	cap. 1.
h. II 23, 2: ad coenam invitaverant.	5: ad cenam invitavit.
	cap. 3.
I. 84, 2: postulare legionibus subplementum.	1: supplementum militum petit.

	cap. 4.
C. 51, 16: virum fortemque strenuum.	8: filium strenuum et manu fortem.
	liber XXVI.
	cap. 1. (* 4—fin.)
I. 104, 4: quoniam paenitet.	6: quasi paeniteret.
	liber XXVII.
	cap. 2.
C. 52, 4: nihil fit relicui victis.	nec quicquam illi — residuos fortuna facit.
C. 25, 1: virilis audaciae facinora conmiserat.	7: puer virilem sumit audaciam.
	liber XXVIII.
	* cap. 2.
C. 5, 4: alieni adpetens.	7: aliena appetenda.
h. IV 61, 17: Romanos . . . partum habere domum, coniuges, agros, inperium? . . . convenas sine patria parentibus.	8: Quos homines Romanos esse? . . . pastores . . . ademptum solum teneant . . . uxores praeter originis dehonestamenta . . . rapuerint, . . . urbem parricidio condiderunt.
	cap. 3.
I. 21, 1: copias parat et Iugurthae obvius procedit.	2: hostibus instructo exercitu obvius processisset.
	cap. 4. (* 3—9.)
I. 94, 5: Interim omnibus Romanis hostibusque proelio intentis, magna utrimque vi pro gloria atque inperio his illis pro salute certantibus.	2: Inter duas . . . gentes bellum summis utrimque viribus fuit, cum hi pro vetere gloria, illi non solum pro . . . libertate, sed etiam pro salute certarent.
	liber XXIX.
	cap. 1.
C. 54, 4: virtus enitescere posset.	9: magna subdoles virtutis enituit.
	cap. 2. (*2—6.)
‚Agitare' a Sall. adamatum.	1: Quae agitantem.
	cap. 3. (*1—5.)
C. 52, 24: dux hostium supra caput est.	7: Poeni et Annibal in cervicibus erant.
h. II 96, 4: hostis in cervicibus.	
h. III 61, 21.	
	cap. 4.
I. 44, 4: clade perculsus.	7: cladibus perculsae.
	liber XXX.
	cap. 1.
C. 54, 4. I. 89, 3: negotiis intentus.	1: rebus intento.

C. 52, 29: socordiae te atque ignaviae tradideris.	2: luxuriae se tradiderit.
I. 32, 2: secuti morem inperatoris.	regis mores secuta.
I. 5, 4: magnitudinem nominis Romani.	8: magnitudine nominis. XLII 5, 12.
I. 98, 2: dies consumptus.	dies consumit.
C. 25, 2: instrumenta luxuriae.	9: instrumenta luxuriae.
	cap. 2.
C. 51, 30: licentia crevit.	1: crescente licentia.
	cap. 3.
I. 38, 9: pax convenit.	9: pax conveniebat.
	cap. 4.
h. I 48, 7: quanto avidius pacem petieritis, tanto bellum acrius.	7: tanto bellum fortius quanto libertas carior.
I. 17, 3: in parte tertia Africam posuere.	9: Africam tertiam partem mundi.
C. 21, 4: ea praedae fuerat.	12: qui praedae fuerint. XXXI 1, 1. XXXIX 5, 5.
h. IV 61, 6: fracto Philippo.	17: fractus Philippus.
	liber XXXI.
	cap. 1.
I. 31, 11: aequo animo servitutem toleratis.	8: aequo animo sub legibus vivere.
	cap. 2. (*1—5.)
C. 6, 4. I. 40, 4. 58, 2.	6: metu perculsus.
C. 49, 3: grandem pecuniam.	4: grandis pecunia.
	cap. 3.
C. 39, 4: defessis et exanguibus inperium extorqueret.	1: graviter fractum velut exanguem in regno reliquit. XXXIX 5, 6. XLI 6, 4.
C. 52, 23: inpetus fiat in vacuam rem publicam.	2: vacua possessione . . . civitates invasit.
C. 54, 4: virtus enitescere.	4: virtus enituit.
	cap. 4.
h. I 48, 11: expers consili.	9: expertem totius consilii.
	* cap. 5.
Saepissime!	4: mortalibus [1])
	cap. 8.
C. 6, 1: Romam . . . condidere . . . Troiani . . . Aenea duce.	1: Aenean . . . Romanis . . . ab his procreatos.
I. 40, 5: insolentia ex rebus secundis.	8: secundis rebus insolescere.
C. 11, 5: loca voluptaria.	9: possessiones voluptariae.
C. 35, 3: possessiones.	

[1]) vid. pag. 30.

	liber XXXII.
	cap. 1. (*5—9.)
I. 31, 22: libertatem retinendam.	libertatem retinuerant.
C. 51, 42: parta retinemus.	
C. 51, 4: quae male consuluerint.	9: male consuetum Achaeis.
	cap. 2.
I. 94, 4: Mario vecordiam obiectare.	8: proditionem ei obiectare.
C. 48, 7: inmissum Tarquinium, ne.	9: inmittit indices.
I. 53, 7. 91, 7: admissum facinus.	facinus admittit.
	XXXVII 3, 7: admissum facinus.
	cap. 3.
I. 106, 6: insidiis circumventos.	2: insidiis circumventum. XXXVIII 9, 2.
I. 14, 11. h. II 94.	6: extorres.
	liber XXXIII.
	cap. 2. (*1—4.)
I. 82, 3: parta victoria.	4: victoriam peperere.
	liber XXXIV.
	cap. 1.
C. 22, 2: consilium suum aperuisse.	6: quid consilii habeant, aperiunt.
	cap. 4.
C. 28, 3. I. 31, 9.	2: facinus susceperant.
	liber XXXV.
	cap. 1.
I. 85, 14: novitatem meam.	1: novitati suae.
h. I 39: in regnum restituentis.	2: restituere in regnum. XXXVIII 3, 4. XXXIX 1, 1. XLII 5, 2.
	cap. 2.
I. 78, 2: uti fors tulit.	1: si ita fors tulisset.
I. 3, 2: delicta conrigas.	2: offensam correcturi.
	liber XXXVI.
	cap. 1.
I. 31, 10: incedunt per ora vostra.	4: per ora civitatium.
C. 20, 6: nosmet vindicamus in libertatem.	10: se in libertatem vindicaverunt.
	cap. 4. (*1—5.)
C. 11, 6: in Asia . . . primum insuevit exercitus populi Romani amare, potare etc.	11. Asia Romanorum facta . . . vitia Romam transmisit.
	liber XXXVII.
	cap. 4.
I. 6, 1: non se luxu neque inertiae conrumpendum dedis,	1: non in convivio, sed in campo, nec in avocationibus, sed in

sed equitare iaculari cursu cum aequalibus certare.	exercitationibus nec inter sodales, sed inter coaequales aut equo aut cursu aut viribus contendebat.
h. II 11: cum alacribus saltu, cum velocibus cursu, cum validis vecte certabat.	
	liber XXXVIII.
	cap. 1.
h. inc. 14: ‚currum falcatorum'	8: curros falcatos.

genus a Sallustio non potuisse commomorari nisi in bello Mithridatico certum iudicat Dietschius.

	cap. 2.
I. 51, 5: proelium renovare.	2: proelium renovat.
	Capp. 4—7 vid. supra.
	cap. 9. (*2–9.)
I. 48, 2: per tramites antevenit.	6: per tramites occupatum fugientem retrahit.
C. 39, 5. 47, 4: ex fuga retractus.	10. 11. XXXVIII 9, 11.
	cap. 10.
C. 11, 7. 28, 4. 52, 4. h. I 41, 15. C. 20, 3.	6: nihil reliqui . . . fuit [1]).
C. 6, 4. I. 48, 1. 66, 1.	8: insidiis Antiochum temptabat.
I. 23, 1: per vim aut dolis temptare.	
I. 70, 3: dies insidiis statuitur.	die statuta per insidias.
I. 11, 2: more regio iusta . . . fecerunt.	10: exequias more regio fecit.
	liber XXXIX.
	cap. 1.
I. 64, 4. 66, 1.	3: aliena adfectat.
C. 48, 1: consilia execrari.	execrantes superbiam.
	cap. 2.
I. 73, 7: ea res frustra fuit.	4: res frustra fuit.
h. I 48, 2: pacem praestare.	9: quietem praestare.
	cap. 3. (*5—11.)
C. 11, 4: foeda crudeliora facinora facere.	7: foedum facinus facere.
	cap. 5.
h. IV 61, 17: Romanos, postquam ad occidentem pergentibus finem Oceanus fecit, arma huc convortisse.	3: fortuna Romana porrigere se ad orientalia regna, non contenta Italiae terminis.
	liber XL.
	cap. 1.
h. IV 61, 10: me bello lacessiverunt.	4: bello alium lacessere. XLIV 5, 2.

1) cf. Gerlach. ed. mai. II 2 p. 326. Laws c. III p. 6. Bruennert p. 36.

	cap. 2.
I. 3, 2: omnes rerum mutationes portendant.	1: mutationem rerum portendere.
C. 51, 10: infestos coniurationi faceret.	4: latrociniis infectam reddat.
	liber XLI.
	* cap. 1.
C. 20, 7: volgus fuimus sine gratia, sine auctoritate.	4: velut vulgus sine nomine.
vid. annot. 1!	11: profunda camporum, praerupta collium montiumque ardua.
	cap. 2.
I. 6, 1: mos gentis illius est equitare, iaculari.	5: Hos ... cura habent et equitare et sagittare docent.
h. inc. 55: more equestris proeli sumptis tergis atque redditis.	7: pugnant aut procurrentibus equis aut terga dantibus.
I. 14, 20: fugum simulare.	7: fugam simulant.
h. IV 59: equis paria operimenta erant, quae .... in modum plumae adnexuerant.	10: munimentum ipsis equisque loricae plumatae sunt.
	cap. 3.
C. 8, 5: facere quam dicere malebat.	8: ad faciendum quam ad dicendum promptiores.
	cap. 4.
h. II 67: suetum latrociniis.	7: solitus latrociniis.
C. 51, 12: magno inperio praediti.	8: imperio praeditus.
	cap. 6.
I. 76, 5: proeliis fatigati.	3: bellis fatigati. XLIII 3, 13.
	liber XLII.
	cap. 2. (* 7—fin.)
h. III 50: de ‚Iasone'	10: Armenia condita ab Armenio Iasonis comite etc.

Sallustium in descriptione Ponti dixisse apertum est.

	* cap. 3.
h. inc. 122: ‚Geryonis'	4: cum Geryone. XXXXIII 1, 9. XXXXIV 4, 14; 15; 16.

nomen apud Sallustium lectum fuisse testatur Servius ad Verg. Aen. VII 662: Sallustius ‚Geryonis' dicens.

[1]) Apud Sallustium saepissime adiectiva substantivorum vim habent. Gerlach. ed. mai. II 2 p. 314. cf. advorsa certaminis h. III 61, 4; humi aridum I. 48, 3; cava terrae h. II 43; extremum aestatis I. 90, 1; extremum die I. 21, 2; laeva moenium (moenia Dietsch.) h. II 19; longinqua Oceani h. I 61; multum diei I. 51, 2. Italiae plana et mollia h. IV 17. noctis plerumque I. 21, 2. 98, 6. 109, 4; oppido propinqua I. 89, 5; proxima terrae I. 78, 2. reliqua cadaverum h. III 6; ad summum montis I. 92, 2; montis extremo I. 37, 4.

	cap. 4. (* 11—13.)
I. 14, 2: omnium sceleratissumus. I. 31, 12; 21.	16: sceleratissimus omnium.
	cap. 5.
I. 100, 1: victoria insolens.	4: victoria insolentior redditus.
I. 83, 3: postulata[1])	8: postulatis cognitis.
	liber XLIII. cap. 1.
C. 6, 1: Romam condidere Troiani cumque eis Aborigines. 2: Hi postquam in una moenia convenere . . . coaluerint.	3: Italiae cultores primi Aboriginis. 14: Aeneas ab Ilio Troia expugnata in Italiam venit . . . in societatem regni reciperetur.
	* cap. 2.
4: populi finitimi bello temptare.	2: finitimis populis armis subiectis.
	cap. 4. (* 3—11.)
C. 31, 7: M. Tullius inquilinus.	5: Massiliensis inquilini.
I. 113, 4; 5: insidias tendit . . . insidiantibus. C. 27, 2. I. 35, 5. 61, 3.	10: insidiae tenduntur insidianti regi.
	cap. 5. (* 5—7.)
C. 31, 9: incendium restinguam.	4: ad extinguendum incendium.
I. 31, 16: curam libertatis haberetis.	12: epistularum curam habuisse.
	liber XLIV. cap. 2.
C. 5, 3. h. III 17.	1: ad inediam parati.
h. IV 27: inquies animi[2]). h. I 7. 48, 11; 16. II 35.	5: inquies animus.
	cap. 4. (* 2—11.)
h. II 26: Ut alii tradiderunt Tartessum, Hispaniae civitatem, quam nunc Tyrii mutato nomine Gaddir habent.	1: Saltus Tartesiorum. cap. 5. 2: Gaditani a Tyro . . . in Hispaniam transtulissent.
	cap. 4.
C. 46, 2: periculis eripere.	11: periculis ereptus.
h. II 91: frugum pabulique laetus ager.	11: tanta pabuli laetitia.

Prologi

quamquam Trogi historiarum seriem ostendentes singulorum librorum argumenta continent, tamen sunt digni, quorum non ducatur ratio. Neque enim ab ipso Trogo neque a Iustino eos esse

---

[1]) vid. pag. 35.

[2]) Vocabulum ‚inquies' Plauto acceptum inprimis Sallustius usu recepit. cf. Bruennert p. 44.

profectos indicandum est, quippe cum in nonnullis Iustini codicibus auctore Bernardo Montfaucono non occurrant et nomen prologorum in hac, qua adhibetur, significatione barbarum phrasisque frequentata ,in excessu' (= per digressionem) serioris latinitatis sit, unde litteratum Graeculum saecul. V fuisse scriptorem Faber probabili ratione est suspicatus[1].

Quantopere cum Sallustio cohaereat Trogus in describendis regum Ponticorum Bosporanorumque originibus et bello piratico, id cognoscendi quamquam non nanciscemur copiam, tamen, quae huc spectant, non indicare noto.

Sall. h. II 44—48. III 39—52.	prol. XXXVII: repetitis regum Ponticorum originibus ut ultimum in Mithridatem series deducta sit. Dictae regum Bosporanorum et Colchorum origines et res gestae.
III 57—60.	prol. XXXIX: piraticum bellum, quod in Cilicia Romani per Antonium gesserunt.

Iam vero ad Trogi historiarum

fragmenta

ex aliis rerum gestarum scriptoribus praeter Iustinum hausta progrediar, quorum Bielowskius condidit collectionem non diligenter quidem, cum minimam partem ad Trogum redire a Gutschmidio[2]) edoceamur, quem praeiit Osanus[3]) exemplo. Ex quibus hosce Sallustio similes locos appono, qui Trogi nexum cum florentissimo auctore primo in historia Romana artissimum supra demonstratum possunt amplius illustrare.

fragm. 4. ed. Biel.; Gutschm. p. 196 = Iord. Get. 10.

I. 110, 5: regem armis vinci quam munificentia.	armis vincere quam locorum beneficio submovere.
h. II 96. 4: hostes submovi.	
C. 51, 28: devictis Atheniensibus.	devictos Parthos.

fragm. 6 ed. Biel.; Gutschm. p. 193 — Iord. Get. 6.

h. I 48, 5. III 61, 10.	in Aegyptum usque.
I. 14, 15. 24, 2. 42, 4. 95, 3. h. IV 61, 21.	eum extinxisset.

---

[1]) cf. Funcii de vegeta latinae linguae senectute comm. Marburgi Cattor. 1744 p. 695.
Iustin. ed. Frotscher. II p. 504. I p. XLIX.
Ersch und Gruber Encycl. II 30 p. 39.
Gatterer l. l. p. 20.

[2]) Ueber die Glaubwürdigkeit der Fragmente etc. p. 3 sqq.

[3]) in Iahn's Iahrbücher für class. Philologie. vol. 70 p. 54 sqq.

I. 6, 1: pollens viribus.	fertilitate pollens.
h. I 28: exercitum deseruit.	deserto exercito, agmine.
I. 85, 10: vid. p. 82 ann. 3.	prosapiam.
I. 31, 25: hostis acerrumus.	acerrimi bellatores.
fragm. 8 ed. Biel.; Gutschm. p. 197 = Iord. Get. 10.	
I. 102, 13: repulsus ab amicitia.	repulsus.
C. 37, 7. h. I 48, 13. IV 34.	malum publicum.
C. 27, 2. I. 56, 1. 76, 5.	fatigatus itineribus [B., insidiis G.]
C. 58, 9: omnia nobis tuta erunt.	sibi tutum fore aliquantum.
h. III 64: locum ipsis tutum fore.	
Gutschm. p. 198 = Iord. Get. 7; 8.	
h. IV 61, 16: ab illis ad praedam petieris.	a gente temptantur in praedam. cf. Iust. I 5, 6.
C. 60, 3: haut timidi resistunt.	fortiter resistunt.
I. 72, 3: adreptis armis.	arma arripuere.
I. 54, 8: sua loca defendere, in alienis bellum gerere.	propria defenderent et aliena vastarent.
I. 110, 6: fines meos tutatus sum.	fines patrios tuendo.
h. II 2: ex suo vocabulo insulae nomen dedit.	Marpessa loco nomen Marpessae dedit.
h. II 18: Valentiam praeterfluit.	Gargaram praeterfluit.
Vid. Iust. XII 4, 12 p. 80.	domuerunt.
I. 8, 1: inperio Numidiae potiretur.	Asiae regno potitae.
I. 1, 1: forte potius quam virtute.	dolo magis quam virtute.
I. 24, 7: regnum tenet.	tenuisse regnum.
Gutschm. p. 200 = Iord. Get. 10 fin.	
I. 27, 1: regis minister.	ministri insidiis.
C. 58, 8: proelium inibitis.	proelio inito.
C. 12, 5. I. 10, 7. 15, 1. 31, 23.	iniuriam facere.
I. 102, 13: partem Numidiae vastare.	cunctam Macedoniam vastare.
fragm. 44 ed. Biel.; Gutschm. p. 192 = Serv. ad Aen. III 108.	
I. 41, 7: inopia laboraret.	inopia urguebatur.
I. 18, 2: quas . . . sedes habebant.	sedes habiturum, ubi.

Restat ut fragmenta ex

libris de animalibus et de plantis

(cf. Gutschm. p. 180), qui temporis iniuria perierunt, annectimus. Attamen in iis, quae hucusque Bielowskius p. 49 et Gutschmidius p. 183 sqq. congesserunt, similitudinem quandam inter Trogum et Sallustium ut expediam mihi non contigit.

Quod si haec mea opella, postquam ad finem comparationis Sallustii Trogique pervenimus, ad comprobandam sententiam in fronte totius dissertationis positam et ad incipiendam de studiis Sallustianis quaestionem accuratam ac librorum historiam condendam contulerit vereque nobis ex iudicio lectorum, quod voluimus, contigerit, mihi ut reliquos deinceps persequar auctores stimulos admotum iri sane quam gratulabor.

Add. ad pag. 17 sqq.

Iam dissertatiuncula mea consummata erat, cum
et Friderici Vogel quaestion. Sallustianarum pars II in actis seminarii Erlangensis Erlangae 1881
et Franc. Seck de Pompeii Trogi sermone I Constantiae 1881
mihi in conspectum darentur.

VITA.

Natus sum Henricus Iulius Sellge anno h. s. LVII a. d. VII Cal. Iun. Sagani patre Arminio, matre Arminia e gente Schulz, quibus adhuc superstitibus gaudere mihi licet. Fidem profiteor evangelicam. Primis literarum elementis in publico ludo imbutus puer novem annorum a. h. s. LXVI gymnasium adii Saganense catholicum, in quo receptus sum a v. d. Floegel tunc directore. Gratias debere non desinam quam maximas v. d. de Karwowski, qui cum studiorum amorem mihi excitavit, tum fautor est benignissimus. Gymnasio usque ad annum duodevicesimum frequentato maturitatis testimonio instructus a. h. s. LXXV, quo v. cl. Kayser directoris munus susceperat, hanc Universitatem literarum Viadrinam petii studiis philologicis navaturus. Ab eo, qui tum fasces tenebat, v. ill. Galle, in civium academicorum numerum receptus adhuc usque intermisso anno, quo stipendia sum meritus, scholis philologicis, philosophis, archaeologicis, historicis, quas habuerunt viri doctissimi et humanissimi Bobertag, Dilthey, Freudenthal, Hertz, Iunkmann, Neumann, Partsch, Reifferscheid, Rossbach, Strasser, Weber, Weinhold maxima cum utilitate usus sum. V. d. Hertzii benevolentia mihi contigit, ut seminarii philologici sodalis factus per ter sex menses interessem exercitationibus, quas moderabantur vv. dd. Reifferscheid et Rossbach. Praeterea id potissimum egi, ut studia archaeologica diligenter tractarem; per octo semestria adfui exercitationibus a v. d. Rossbachio institutis, qui custodem quoque musei archaeologici me fecit.

Praeceptoribus meis, imprimis vv. ill. M. Hertz, A. Reifferscheid, A. Rossbach, qui egregie de me sunt meriti et consilio operaque me adiuverunt, gratias ago quam possum maximas et uniuscuiusque beneficiorum memorem me praebere pio gratoque animo studebo.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

1. Liv. XXII 4, 4 scripsisse mihi videtur: ab tergo ac super caput haud detectae insidiae.
2. Flor. II 17; 108, 9 (ed. Iahn) = IV 7, 3 (ed. prior.) sic mutaverim: displicuit ultio; quin Ciceronis consiliis abolitio poenae decreta sc. est. Ne tamen etc.
3. Flor. II 18; 110, 1 (ed. Iahn) = IV 8 (ed. prior.) restituo ‚hic se piratica turba tuebatur. turpiter Puteolos . . . . populatus est.'

   Codex Bamberg. praebet:

   . . . . ‚hic se piratica turbatur per puteolos . . . . . . populatus est'.
4. — ib. 110, 5 ‚praebendi' in ‚praedandi' emendaverim.
5. — ib. 110, 10 coniicio: Quam nimium sed breve gaudium fuit, cum in Baiani litoris mole de reditu eius . . . . convenit. Tumque invitante ipso in nave discubitum est. Sed ille sortem suam increpitans . . . . carinae meae aut incomiter, quod e. q. s.
6. — ib. 110, 19 pro ‚inille' lego ‚iit ille'.
7. Non recte iudicant ii, qui quomodo et ubi statuae illae marmoreae Niobae liberorumque olim statutae sint, se cognovisse existimant. Haec enim quaestio adhuc disceptari nequit.
8. Statuae marmoreae, quae Madriti in regia ‚San Ildefonso' cernuntur [cf. Huebner antike Bildwerke in Madrid = Mus. arch. Vratisl. n. 324], sic explicandae sunt: Antinous Mercurio comitante mortem pro Hadriano occubiturus.
9. In pictura hydriae (calpeos) fictilis fig. flav., quae asservatur sub n. 844 in mus. Berol. [Gerhard etrusc und campan. Vasenbilder tab. VI], repraesentatur Bacchus cum Ariadne congregatus coram Theseo, quem Minerva abire iubet. Schol. Odyss. XI 321 unus est locus, ubi eadem memoria de Ariadne prodita est.
10. In aversa parte amphorae fictilis n. 1601 mus. Berol. [Gerhard tab. IX] sileni sinistra manus chordas tangit, dextera plectro pulsat. Pro *ΟΡΟ+ΑΡΤΕΣ* *ὀροχαρης* legendum est.